238
81

REGINÆ HUNGARIÆ PRIMÆ STIRPIS.

AUTHORE

R. P. XYSTO SCHIER,

EREMITA AUGUSTINIANO.

Opus Posthumum,

ad illustrandam historiam patriam perquam accommodatum.

Cum vita ejusdem Cl. Authoris compendio data, & accurata notitia omnium operum ejus tam editorum quam manuscriptorum.

a P. Martino Rosnacki, O. S. A.

VIENNÆ.

Litteris Schulzianis 1776.

Jószef Attila Tudományegyetem Központi Könyvtára
SZEGED

BIBL. THEOLOGIAE PROV. HUNG. S. J.
IHS
1935

Országos Könyvtári Központ
Nem adható el!
szegedi raktárban

26898



Natus eſt P. Xyſtus Schier Pruggæ ad Leytham in Auſtria an. MDCCXXVII, XIX Julii. Quidquid fuit, totum ſe Ordini Auguſtiniano, quem poſtea amplexus eſt, debere ipſe (1) fatetur. Nam ſacro fonte (2) ablutus eſt a P. Godefrido Claa, principia Religionis Chriſtianæ edoctus a P. Jodoco Erhard, linguæ latinæ rudimentis imbutus a P. Leopoldo Wishoffer; qui omnes erant Ordinis noſtri

1) In ſuo opere MS. cui fecit titulum: *Scriptores Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ &c. memoriæ poſterorum commendati*; in quo opere etiam ſui memoriam ingeſit Author; quamquam autem verius dicat, quis ipſe non fuerit, quam qui omnino fuerit.

2) Pauli nomen in Baptiſmo obtinuit, Xyſtum appellavit ſacer Ordo. Erat tum P. Godef. Claa Miniſter Sacrorum (Capellanum vocant) Civitatis Pruggenſis.

ſtri alumni. Tandem eùm Ordo in gremium ſuum recepit Viennæ XXV Aprilis, an. MDCCXLV. Anno autem ſequenti XXVI Aprilis votis ſolemnibus ſe obſtrinxit. Sacerdotio poſtea initiatus an. MDCCL, XXVII Septembris primum ad aram fecit Pruggæ. Litteris humanioribus informatus erat Poſonii, cujus urbis Muſis poſtea gratitudinem ſuam quoquo modo teſtatam voluit edita Commentatione de Academia Iſtropolitana.

In Religione conſuetum Philoſophiæ ac Theologiæ ſtadium decurrebat, quamquam quidem is hiſce parum delectaretur ſtudiis; quin verius, ipſo fatente, nauſeam illi tædiumque generabant, eo etiam vel maxime, quod illa ætate ea eſſet diſciplinas has pertractandi ratio, ut plurimum fierent de re nihili, aut certe nimium longis & implexis protraherentur diſputationibus, cum poſſent paucis abſolvi. At vero *hiſtoriam* (3) *omnigenam*, *& ſtudium criticum præcipue amavit*, *multaque improbo labore*, *ſtudio aſſiduo*, *& continua exercitatione didicit*. Et quidem quod attinet hiſtoriam, ad quam verſandam feliciſſima pollebat memoria, cœpit illam jam excolere, cum ex lege Superiorum adhuc Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis daret operam. Anno MDCCLV admotus bibliothecæ noſtræ Viennenſi, munus bibliothecarii uſque ad obitum ſuſtinuit, nactus inde uberiorem campum ſeſe diffundendi in hocce genere ſtudii.

In hoc officio ſumma illi cura fuit atque ſollicitudo, ut bibliothecam pluribus iisque melioribus inſtrueret libris, id quod etiam (ut ſaltem fert tenuitas rerum noſtrarum) ſatis feliciter præſtitit; ſiquidem res noſtra libraria ſub illo & numero & pretio plurimum accrevit. Non ſolum autem Superiorum in hunc finem urgebat libe-

3) Sunt Authoris verba in MS. laudato.

beralitatem, ſed ipſe quoque ſubſidia colligebat: atque his, ut plurima mittam alia, comparavit codicem Hebræum membranaceum inſolitæ molis, manu perquam diligenti exaratum an. MCCCXLIV, quem ſolemus offerre videndum, velut aliquid ſpectatu dignum, exiguas facultates noſtras luſtrare dignantibus. Veterum quoque nummorum, rerumque naturalium, quæ habentur, inchoatæ collectiones hujus pariter viri ſedulitati debentur & induſtriæ, aliis, quæ adhuc ſupereſſent, non commemoratis.

Quam vere autem pronuntiaverit, hiſtoriam omnigenam ab ſe fuiſſe adamatam, luculenter demonſtrant lucubrationes diverſiſſimarum, in quas excurrit, materiarum. Sed & improbo hæc ipſi ſtetiſſe labore, crebrisque ac multum protractis noctis vigiliis, quisque æquus rerum arbiter facile dijudicabit. Tametſi vero in nulla re hiſtorica non fuerit verſatus, in iis tamen quæ patriæ ſuæ ſunt, quæve afficiunt Hungariam, longe fuit verſatiſſimus. Sed viri amplam, vaſtamque rerum cognitionem magis edocebunt opera mox laudanda, quam poſſint depingere verba. Quamquam multo adhuc plura animo conceperit, ſuoque tempore etiam in lucem protuliſſet, niſi præmatura mors eum abſtuliſſet. Porro hac ſua eruditione nomen famamque, quamvis ille talia non fuerit aucupatus, conſecutus eſt perquam honorificam nedum apud Litteratos terrarum noſtrarum, ſed etiam apud exteros. (4) Fuerunt quoque Viri honorati, qui ejus noſcendi deſiderio acciti ad ipſum inviſendum acceſſerunt.

4) Nomen Xyſti Schier celebratum fuit in novalibus litterariis Viennenſibus, Lipſienſibus, Ratisbonenſibus, Jenenſibus &c. Ejus cum Claris Viris litterarium commercium docet quoque ipſius *Regeſtum litterarum*.

Non ſolum autem ſe ipſum ita litteris perpolivit, ſed etiam ſuos Conſodales ad eas ſectandas maximopere animavit. Junioribus noſtris compluribus Author fuit & ſtimulator, ut linguam Gallicam ediſcerent, quod eſſent in hoc idiomate libri omni eruditione referti. Legere veteres caracteres & antiquas inſcriptiones; codicum dignoſcere pretium; quis ſcriptor has illasve materias copioſius, ſolidiusque pertractaverit; quid in hoc illove genere ambiguum aut certum; quæ iſthoc tempore quæſtiones magis utilitate præſtarent, quæve uſitatiores ac celebriores, ille edocuit, ille oſtendit.

Biennio fortaſſis antequam e vivis eriperetur Societatem quamdam veluti Litterariam conflare cogitavit; provocabat nimirum ſuos Fratres magis idoneos, ut aliquid litteris ederent, atque in hunc finem etiam ſua nomina darent. Ipſe vero & materias, quæ eſſent diſcutiendæ & eliquandæ, ſuggeſſit diverſiſſimas, & leges condidit, quibus foret inhærendum, omnibus ſeſe offerens ad ſuppetias, quas poterit, ferendas: propter quod ſolum, ut diutius vitam continuaſſet, vehementer ſuiſſet optandum. Denique hoc illi plurimum fuit cordi, ut fratribus ſuis rectum literarum guſtum ingereret & amorem, remque Auguſtinianam redderet illuſtrem, & orbi utilem. Hunc viri in ſuam Religionem amorem, & litterarum promovendarum zelum Superiores, ut decuit, remuneraturi, eum Baccalaurei gradu condecorarunt; cum hic honoris titulus alias non ſoleat deferri, niſi illis qui e præcipuis Provinciæ ſacris pulpitis in plures annos verbum DEI annuntiaſſent.

Non ſolum autem litteris vacabat noſter P. Schier, ſed pietatem etiam colebat. Et recte quidem, alioquin *ſcientia ſine timore DEI* (5) *quid importat*? Nempe, *infelix homo*, aiebat S. Pater no-

5) Author libr. de imit. Chriſti. lib. I. Cap. 2.

noſter Auguſtinus, (6) *qui ſcit omnia, DEUM autem neſcit: beatus autem qui ſcit DEUM, etiamſi alia neſciat.* Quæ quoniam non fuerunt ignorata Xyſto, ſtudium utrumque pietatis nimirum & litterarum egregie copulavit, ut ea quæ ſequuntur, non vane demonſtrant.

Verba, actiones, vultus ipſe, quo erat modeſto, pallido, & ad pietatem compoſito, virum loquebantur Religioſum ac DEO dicatum. Nullus illi ſermo dulcior aut jucundior, quam qui de litteris, aut rebus piis duceretur: ac licet alias linguæ foret tardioris, in utroque tamen hoc genere fuit eximie diſertus & facundus. Quæ modeſtiam vel puritatem ſolum eminus læderent verba, non ſolum ipſe non protuliſſe auditus eſt unquam, ſed etiam adverſus eos, qui talia eo præſente auderent, illico inſurgebat, eosque redarguebat; neque facilius ad diſplicentiam aut offenſionem commoveri potuit, quam hujuscemodi dictis. Legem ſibi poſuerat, ne, cum ſermo eſſet de abſentibus, ipſorum errata notarentur: & ſi ſocius aliquando in transverſum deflecteret, diſcurſu in alium repente mutato, errantem ocyus revocabat. Procul illi ſermones nugaces & inanes, quos una cum nugatoribus averſabatur. Paucis: in omni ſermone circumſpectione uſus eſt & libella.

E monaſterio non facile pedem efferebat, niſi ad viſitandos ægrotos, aut cum ſtudiorum negotia id exigerent, Cæterum cum inter ſæculares comparendum fuit, talem ſe præbuit, ut ejus converſatio cunctis ædificationi eſſet & exemplo. Nullam ille neglexit occaſionem pia ſermonibus inſerendi documenta, aut excurrendi etiam in rerum campum ſpiritualium: nimirum ſemper memor ſui ſtatus & ſanctæ profeſ-

6) Lib. V. Conf. Cap. 4.

ſeſſionis, opportuno quovis tempore & loco aliquid illi conveniens proferebat. Familiare habuit ſuis dicere: *Amemus DEUM noſtrum.*

Nullius ille commodi ſectator: veſtitus illi neglectus & attritus, ut & cætera omnia, quæ illi erant ad neceſſarium uſum: per totam vitam abſtemius vinum aliquando ſolum guſtabat: ultimis vitæ annis ſemel duntaxat per diem corpus reficiebat: luſum omnem vitabat. Nunquam otioſus. In primam, etiam ſecundam horam noctis vigilias ducebat, nihil propterea cunctatus mane ſurgere ad ſpiritualia charitatis officia aliis exhibenda, aut munia monaſtica obeunda. Cum aliquando in annua ſpiritus recollectione ſecum recogitaret, occupationibus litterariis tam multis, tamque diverſis ſe diſtineri, indeque conſcientia, qua erat timorata, gravaretur, quod rebus ſacratioribus tempus non impenderet, Superiorem adiit, rogans, ut hujusmodi labores ex obedientia injungeret; quod cum obtinuiſſet, cœptum cum animi tranquillitate eſt proſecutus.

Sacrificium Miſſæ, ut par erat, ſumma devotione & cum adſtantium ædificatione offerebat. Moram juſtam huic graviſſimo negotio impendens, omnes etiam ſyllabas diſtincte pronuntiabat, voce uſus ſubmiſſa. Vulnerabatur anima ejus, cum videret rem hanc ſub cœlo maximam obiter ac perfunctorie a quibusdam fieri.

Erga Sanctiſſimum Corporis Chriſti Sacramentum vivam gerens fidem, omnem quæ fieri poteſt, externam internamque reverentiam exhibuit Atque ut ad id faciendum etiam alios induceret, piam quamdam (quam tamen occultam volebat) confœderationem inter juniores fratres inſtituit, quibus eſſet obligatio, præſente Sanctiſſimo Chriſti Domini Corpore ſingularem reverentiam, devotionem, ac fidem exercendi, injuncto exiguo precum penſo, ad augendum apud alios quoque debitum ejusdem Sanctiſſimi Corporis cultum.

Pi-

Pium hoc vinculum apud quosdam devotos fratres etiamnum perſiſtit.

Ob ſingularem morum puritatem, & vitæ integritatem Magiſter datus Religioſis noſtris tyronibus, eos verbo & exemplo erudivit ad vitam monaſticis legibus conformem ducendam. Exaravit pro horum inſtitutione opellam ſingularem inferius laudandam. Ob eandem rationem quamplurimæ animæ, quas ardentius deſiderium ſerviendi DEO accenderat, eum ſibi Patrem & Magiſtrum ſpiritualem adoptarunt, ſuam ipſi conſcientiam dirigendam concredentes. Et profecto nactæ fuerunt in eo Patrem optimum; tanta enim caritate eis ſerviebat, tantumque temporis illis ſacrabat, ut mirum ſit, reliquum ipſi ſuffeciſſe ad plurima alia, quæ habuit, præſtanda. Animas autem tantum quærebat, non aliud; dicere omnino valens cum S. Hieronymo: (7) *Pecuniam cujusquam accepi? Munera vel parva, vel magna non ſprevi?* Suo etiam regendi ſpiritu, quo pollebat optimo, effecit, ut plures ex illis aſpirante cœleſti gratia vere inſignem DEO famulatum præſtiterint. Univerſim autem neminem ex ſacro tribunali dimiſit ſalutari doctrina non inſtructum, indigne ferens, a nonnullis ſolum nudam in quosvis proferri abſolutionis ſententiam. Iſtis illud Exodi (8) accommodavit: *Fœtere feciſtis odorem noſtrum.*

Ex pœnitentium, quos habuit, multitudine natum eſt quoque alterum, ut videlicet, quique ægri & infirmi ejus præſentiam expoſcerent, ab eoque ſolatium in ſuis tribulationibus flagitarent: quod quidem ipſe ea ſpiritus alacritate & dilectionis ardore præſta-

bat,

---

7) Epiſt. ad Aſellam.

8) Cap. V. v. 21.

bat, ut nulla refugiens incommoda ſæpe noctu diuque apud hujuscemodi afflictos oberraverit, ſomni quietisque defectu ſupra modum debilitatus. Atque hæc etiam, qua in proximum ferebatur, caritas ei finem vitæ fecit. Cum enim an. MDCCLXXII febris, ut vocabant, putrida longe lateque graſſaretur, & plurimos mortalium abſumeret, ille piis obſequiis, quæ hocce malo in privatis ædibus laborantibus exhibuit, non contentus, ad opem ſacram ferendam etiam illis, qui magno numero in publico Noſocomio decumbebant, pio zelo animatus ſe ſe ultro offerebat. Obtenta ergo a Superiore ad id licentia dum ad locum procederet, in via ſocio (10) lætus dixit: *Quam nos eſſemus felices, ſi fieremus victima caritatis!* Nec deſiderio ſuo ſunt fruſtrati; ſiquidem febri illa maligna correpti, inde reduces reipſa victima cecidere caritatis, ac ſocius quidem cecidit XV Martii. Id cum percepiſſet Xyſtus, illud identidem ingeminabat: *Dilexerunt ſe in vita, nec in morte erunt ſeparati.* Itaque eum ſecutus eſt XXI die ejusdem Menſis Martii. Digni profecto ambo, qui in Ordinis gloriam, & proximi ſalutem diutius vitam duxiſſent.

---

10) Erat is Cl. P. Charus Kare, SS. Theol. Doctor, & in Cœnobio S. Scripturæ Lector, Xyſto ob morum probitatem, & ingenii præſtantiam multum dilectus; qui & ipſe caritate in proximum ſuccenſus huic pio operi exercendo ultro ſe addicebat, annos natus XXXVI.

Elen-

Elenchus Operum

P. Xysti Schier.

I.

Opera edita.

Opera, quæ ipse Author in lucem emiserat, recensita secundum annorum seriem, quibus lucem videre cœperunt.

Cum nonnullis adnotationibus, quarum aliquas ipse Cl. Author appoſuerat.

---

1. *Oratio de S. Leopoldo Marchione Austriæ. Viennæ* 1759. fol. Erat tum noster P. M. Augustinus Naller Nationis Austriacæ Procurator; quod proinde occasionem præbuit Authori scribendi hanc panegyrim.

2. *Epistola ad amicum de antiqua adcuratione Cæsareæ bibliothecæ Vindobonensis.* 1763. Phyl. In hanc epistolam sequentia notat Author in MS. supra laudato: *Scriptores Provinciæ Austriæ & Hungariæ &c.* „ Amicus imprimi curaverat, sed animadverso gravi commisso errore, adhuc suppressioni integræ locus inventus est, adeo ut vix aliqua exemplaria supersint„ Error autem in eo erat, quod vocem **Pucharzt**, deceptus a Cl. Duellio, interpretatus sit *Bibliothecarium*, cum tamen significet *Physicum*, seu *Medicum Aulicum*, ut ipse Author postea probe animadvertit in suis *Animadversionibus criticis* infra referendis, ubi Duellium ad examen vocat.

3. *Commentatio de primis Vindobonæ Typographis cum variis ad rem litterariam adnotationibus. Viennæ.* 1764. 4. Ad hanc Commentationem poſtea plura collegit Author, quibus ea amplius illuſtraretur, & pluribus eruditionibus reſpergeretur, ſi denuo typis mandaretur. Cæterum hæc tria prima ſunt anonyma.

4. *De duobus ſermonibus Auguſtini, primum Zagrabienſis, dein Lucerini Epiſcopi a Joanne Tomco vitæ Beati hujus viri inſertis, quorum genuinitatem diſcuſſit, & examinavit F. X. S. A. Viennæ.* 1765. 4.

5. *Diſſertatio de Regiæ Budenſis bibliothecæ Mathiæ Corvini ortu, lapſu, interitu, & reliquiis. Viennæ.* 4, ſine anno, prodiit tamen 1766. Plurima poſtea congeſſit Author pro Diſſertatione hac amplianda, magisque illuſtranda, ſimulque adverſus Paullum Wallaſzky ſe ſe defendit, qui ipſum in ſuo *Tentamine Hiſtoriæ litterarum* quorundam lapſuum perperam arguit.

6. *De Venerabilis Hildeberti primum Cenomanenſis Epiſcopi, dein Turonenſis Archiepiſcopi operibus, eorum genuinitate, integritate, editionibus &c. Viennæ.* 1767. 4. „Author laborem (ſunt ipſiusmet Authoris verba in MS. ſupra indicato) hunc & priorem de Typographis meliores cæteris judicavit. Tria hæc antecedentia ſolum præfixis litteris F. X. S. A. prodierunt. „

7. *Gregorius Lodomerii Archiepiſcopi Strigonienſis ſub annum MCCXCVIII defuncti legitimus ſucceſſor vindicatus & illuſtratus. Viennæ.* 1768. 4. Præfixum habet Authoris nomen.

8. *Specimen Styriæ literatæ ad ſubſidia operi perficiendo neceſſaria impetranda Eruditis Inclytæ Gentis Viris exhibitum. Viennæ.* 1769. 4. „Præfixa epiſtola ad Eruditos Styriæ. Quamquam vero plurima ſibi ſpoponderit Author, pauca tamen acceſſerunt ſubſidia, præter ea, quæ Cl. D. Julius Aquilinus Cæſar miſit, & noſtri ex

Col-

Collectione Comitis de Wildenstein curarunt ,, Hæc omnia ipse Author in MS. nuper memorato.

9. *De Maria Porphyrogenita Sponsa, Anna & Maria Conjugibus Reginis Belæ III. Hungariæ Regis. Viennæ* sine anno, impressum tamen est an. 1770. 4. Subjungit Author: ,, Opusculum in Reginis primæ stirpis, DEO dante, continuandum ,, Et ecce hic continuatum est. Huic & etiam priori Author apposuit nomen suum. Inserto operi huic toto illo Tentamine hist. Reginarum Hung

ap. Kali-woda.

10. Beyträge zur Erneuerung des Geistes, und der Gelübde, genommen aus dem Beyspiele einiger heiligen Augustiner. Grätz. 12. Phyl. sine anno. Anonymum. Impressum 1771.

11. Sechs geistliche Erwägungen über das Verhalten des heiligen Augustinus gegen sich, gegen den Nächsten, und gegen GOtt. Grätz. 1771. parv. 8. sine nomine. Author quidem concinnavit decem considerationes pro decem Dominicis: sed nostris Græcensibus, quorum cura opusculum (uti & illud sub num. præcedenti) in lucem prodiit, & apud quos veneratio S. P. Augustini per sex dies Dominicas tum instituta fuit, visum est prætermissis aliis quatuor solum sex eligere & typis dare. Illa, quæ considerationibus superadduntur, alium habent pium Augustinianum Authorem.

II.

Opera,

Quæ poſt Authoris obitum in lucem emiſſa fuerunt,

Ordine, quo ſunt edita, hic relata.

---

12. *Dicta memorabilia Sanctorum & Beatorum Ordinis Fratrum Eremitarum S. P. Auguſtini in pium uſum Sodalium ejusdem Sacri Inſtituti collecta. Græcii.* 1773. 8. Qui edidit, his longe plura adjecit, miſſis aliis, quæ Author collegerat, Clarorum ſed tamen non Sanctorum, nec Beatorum Ordinis Virorum dictis.

13. *Buda Sacra ſub priſcis Regibus. Viennæ.* 1774. 4. Dicata eſt ab editore Ampliſſimo Magiſtratui Budenſi occaſione cujusdam Theologicæ Diſputationis. Præfixit quoque editor brevem præfationem, quam comperit non omnibus, quæ venduntur, exemplaribus adjici.

14. *Memoria Academiæ Iſtropolitanæ, ſeu Poſonienſis, ejusque nonnullorum Profeſſorum ex documentis coævis confecta. Viennæ.* 1774. 4. Hic editor Profeſſoribus inſeruit etiam *Aurelium Brandolinum*, miratus ab Authore fuiſſe prætermiſſum, quem tamen etiam extranei Profeſſoribus Iſtropolitanis adnumerant.

15. *Octava defunctorum, ſeu devotio brevis pro animabus in Purgatorio ſatisfacientibus ſub invocatione octo Sanctorum & ad exemplum octo Venerabilium, qui ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Patris Auguſtini quondam ſpecialiter pro his animabus Deum ſunt deprecati. Viennæ.* ſine anno, eſt tamen is 1775. 8. Phyl. Hoc ab alio in Germanicam linguam traductum prodiit eodem anno, & in eadem forma.

16.

16. *Memoria antiquæ Provinciæ Hungaricæ Auguſtinianæ, cui per editorem acceſſit brevis notitia de Monaſteriis Provinciæ modernæ Auſtriæ & Hungariæ.* Viennæ. 1776. 4. Erat hoc ſolummodo quædam indigeſta rerum collectio, ab editore poſtea primum in ordinem redacta & compoſita.

17. *Reginæ Hungariæ primæ ſtirpis &c.*

Atque hæc quidem poſthuma omnia prodierunt cura & ſtudio P. Martini Roſnack, ††ejusdem cum Authore Auguſtiniani Inſtituti alumni, ac tum ſtudii Viennenſis M. Regentis, qui huic poſtremo operi vitam quoque præfixit Authoris, & hanc operum ejus fecit recenſionem.

†† Ungari

Manuſcripta.*

Manuſcripta, quæ pertinent ad hiſtoriam ſacram.

I.

Perfecta aut fere perfecta.

1. *Epiſcopi Weſprimienſes*, hiſtorice deducti. fol.
2. Wieneriſche Biſchöff und Erzbiſchöffe, etiam hiſtorice deſcripti.
3. *Suffraganei Paſſavienſes*, itidem ſic adumbrati. fol.
4. Verſuch einer Geſchichte der Kirchen, geiſtlichen Hirten, Gebräuchen und des Religionsſtandes zu Wien.
5. *Viennenſes Eccleſiæ & Capellæ, quæ perierunt.* Recenſet harum 17, & de quibusdam ſatis copioſe diſſerit.
6. *Hiſtoriæ Monaſterii Canonicorum Reg. ad S. Dorotheam ſæculum primum.* Refert hiſtorice viginti & unum primos ejus Præpoſitos. 4.
7. *Brevis notitia extinctæ Canoniæ Regularis ad S. Udalricum Neoſtadii, ejusque Præpoſitorum, ex documentis authenticis confecta.* 4.
8. *De fatis Monaſterii ad S. Nicolaum. Viennæ.* 4.
9. *Faviana a S. Severino Noricorum Apoſtolo irrito conatu Viennæ Auſtriæ quæſita. Ubi ſimul de Favianenſis Epiſcopatus ſede, & dubia Eugenii Papæ II. ad Yrolphum Laureacenſem epiſtola.* 4.
10. *De Brunonis I. Miſnenſis Epiſcopi ætate, & ſerie Epiſcoporum ſedis hujus emendanda.* 4.
11. *Chronographica Sacra ab an.* 1754. *uſque* 1800.

II.

---

* Demptis tribus, quæ hic indicantur eſſe in aliorum manibus, omnia aſſervantur in noſtra bibliotheca Viennenſi; unum ſolum vel alterum parvi momenti evanuit.

II.

In eadem hiſtoria ſacra

Series integræ variarum ſucceſſionum.

12. *Officiales Viennenſes.*
13. *Sacri Curiones Viennenſes ad S. Stephanum, cum ſupplemento ad eos, qui deſiderantur in P. Fiſcher.*
14. *Sacri Curiones Aulæ Viennenſis ab an.* 1298. *uſque ad noſtra tempora.*
15. *Epiſcopi Jaurinenſes ſecundum ſeriem Chronologicam.*
16. *Epiſcopi Zagrabienſes juxta eandem ſeriem Chronologicam relati.*
17. *Epiſcopi Boſnenſes hac pariter methodo recenſiti.*
18. *Series Præpoſitorum Ardacenſium.*
19. *Præpoſiti Zwetlenſes.* Horum tantum decem nominat.

III.

Collectanea in genere rerum ſacrarum.

20. *Supplementum ad Concilia Hungarica a Péterffyo prætermiſſa.* Hanc Collectionem ipſe Author Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Ignatio e Comitibus de Batthyán, Abbati S. Georgii de Ják, Cathed. Eccleſiæ Agrienſis Cantori & Canonico obtulit, cum percepiſſet ipſum in eodem verſari argumento. Eidem Illmo ac Rdmo D. Comiti poſtea etiam ceſſimus Epiſcopos Boſnenſes ſupra indicatos.
21. *Concilia ficta, aut quæ de confictione admodum ſuſpecta ſunt.*
22. *Conceſſiones Apoſtolicæ Fratribus Hoſpitalariis in Regno Hungariæ factæ.* Eſt Collectio Brevium Pontificiorum, quæ in favorem eorum emanarunt.
23. *De erroneo cultu XXIV Seniorum in Superiori Styria & Carinthia*

ſub

ſub an. MCCCCXX. Cum officio eorum, quod Author deſcripſit ex Codice MS. Millſtattenſi membr. qui præfert caracterem ſeculi XV ineuntis.

24. *Sententiæ Doctorum Univerſitatis Viennenſis de dolore in Sacramento Pœnitentiæ requiſito.*

25. *Index generalis in Bullarium Romanum.* Incipit a S. Leone I. & progreditur uſque ad Innocentium III.

26. *Diſſertatio epiſtolaris de Litteris Confraternitatum, ſeu Filiationum, ad amicum Auguſtinianum.*

27. *De nonnullarum Deiparæ imaginum & ſtatuarum origine.*

28. *De Canonia Schrattenthalenſi.*

IV.

Aſcetica.

29. Weltliches Kloſterleben; das iſt, kurzer Begriff einiger Lehren, welche eine gottſelige Jungfrau halten ſoll außer dem Kloſter. 8.

30. Kurze Beſchreibung des Lebens, und der Tugenden Theophilä einer Jungfrau, die Gott allein, und in allen geſucht hat. 4. *Ea eſt Maria Anna Schefflerin, cui fuerat a confeſſionibus.* Ita ipſe Author in MS. alias laudato.

31. Andacht auf die 40. Täge von dem Geburtsfeſte unſers Herrn Jeſu Chriſti bis auf das Feſt der Reinigung der allerſeligſten Jungfrau, und Mutter Gottes Maria. 8.

Manuſcripta, quæ non ſunt de genere rerum ſacrarum.

I.

Hiſtorica, critica, eaque ut plurimum perfecta; item quædam excerpta.

1. *Furii Dionyſii Filocali Calendarium antiquum Romanum ſub an. CCCLIV. ſcriptum, ad primam editionem vix cuipiam notam caſtigatum & notis illuſtratum.* 4. impreſs.
2. *Calendarium medii ævi, præcipue Germanicum, poſt Chriſtiani Gottlob Haltauſii operam caſtigatum, & notis illuſtratum*, Hujus edendi curam ſuſcepit Perilluſtr. D. J. Georgius de Schwandner, ab agendis cauſis ad Dicaſteria Aulica Viennenſia: expectaturque indies in lucem edendum opera cujusdam Eruditi Lipſienſis, impenſis Jo. Frid. Jahnii, Bibliopolæ ibidem. Cæſ. Bibl. Cuſtos.
3. *Scriptores Univerſitatis Viennenſis.* fol. Eſt hoc præcipuum Authoris opus, cui elucubrando potiſſimam eamque plurium annorum impendit operam, cum alia ſolum velut per occaſionem perfecit. Deſinit opus cum fine prioris ſæculi; exinde autem ſolum nomina refert Clariſſimorum, qui noſtro floruerunt florentque ſæculo, Scriptorum. Efficiet, cum in lucem proferetur, juſtæ magnitudinis tomum in fol. Præfixit ſibi Author methodum, quam ſervat Jac. Echard in Scriptoribus Ord. Præd.
4. **Abhandlung von der ehemaligen gelehrten Geſellſchaft an dem Donauſtrome, und einigen Mitgliedern.** 4.
5. *Hiſtoria obſeſſæ & captæ Urbis Viennenſis per Mathiam Corvinum Hungariæ Regem an.* 1485 *Ex actis Facultatum Theologicæ, Artium & Medicæ Univerſitatis Viennenſis excerpta.* 4.
6. *Vienna Dei benignitate, & Principum ſollicitudine ſana & incolumis a*

contagionibus, quibus olim continuo affligebatur. 4. Author contagioſos morbos juxta temporum ſeriem refert ipſis auctorum verbis, quibus illos conſignarunt, idque majorem partem ex actis Facultatum & Nationum Univerſitatis Viennenſis.

7. *Epitaphia nonnulla antiquiora Vindobonenſia partim ex lapidibus deſcripta, partim ex MSS aut aliunde reſtituta, obſervationibus illuſtrata.* 4.

8. *Inſcriptiones ſparſim typis expreſſæ, aut æri lapidibusve inciſæ, variæ ætatis, cum animadverſionibus.* 8.

9. *Chartularium Xyſtinum, ſeu collectio variorum Diplomatum, Litterarum fundationalium, Privilegiorum, & teſtimoniorum ex autographis, aut antiquis apographis.* 4.

10. *Miſcellanea curioſa, critica, hiſtorica, moralia, aliaque.* 8.

11. *Diſſertatio de Nicolao Dünklſpühlano.* 4.

12. *Otium Poeticum, ſeu luſus varii Poetici diverſis temporibus & occaſionibus producti.* 8.

13. *Chronographica Poetica ab an.* 1755. *uſque ad an.* 1800.

14. *Actorum Facultatis Theologicæ ab an.* 1396. *uſque* 1549. *libri tres ex autographis deſcripti, in ordinem digeſti, ſerie Doctorum & Decanorum &c. illuſtrati.* fol. Sunt apud Facult. Theol. Viennenſem.

15. *Excerpta Actorum Facultatis Theologicæ Viennenſis, Decano Theophilo Paulle Eremita Auguſtiniano, concernentia tres ſermones typis impreſſos R. D. Andreæ Kravogl.* 1724. 4.

16. *Series Theologiæ Doctorum Viennenſium ab erecta Facultate uſque ad an.* 1769.

17. *Series Decanorum Theolog. Facultat. Vennenſ. uſque ad noſtra tempora.* Author utramque ſeriem contexuit ex Actis Sacræ Facultatis. Cum autem ſubinde Clariſſimum quoddam ac Nobiliſſimum membrum hujus Sacræ Facultatis alios præterea Doctores & Decanos, quorum notitiam ſe aliunde conſecutum putabat, inſeruiſſet, & Matriculæ præfixiſſet, Author hunc ſyllabum ſuperadditum emendavit.

18.

18. *Excerpta ex actis Facult. Medicæ Viennenſis ab an.* 1436. *uſque* 1725. Sunt hæc in diverſas chartas relata.
19. *Syllabus Medicinæ Doctorum ab an.* 1558. *uſque* 1725.
20. *Excerpta ex actis Facult. Artium Univ. Vien. ab an.* 1390. *uſque* 1498.
21. *Series Decanorum hujus Facult. ab an.* 1385. *uſque* 1723.
22. *Syllabus Magiſtrorum Artium ab an.* 1387. *uſque* 1728.
23. *Anonymi Continuatio Chronici Godefridi Viterbienſis a morte Henrici VI. Rom. Imp. ſeu ab an. Chr.* 1197, *uſque ad ann.* 1313. *Ex codice MS.*
24. *Excerpta ex actis Nationis Saxonicæ Univ. Vien. ab an.* 1501. *uſque* 1589.
25. *Series Procuratorum Nationis Hungaricæ in Univ. Vien. ab an.* 1453 *uſque* 1629, *& ab an.* 1655 *uſque* 1694.
26. *Supplementum ad jam editos Nationis Auſtriacæ Procuratores.*

II.

Collectanea, ſyllabi, notæ quædam Criticæ &c. in hocce genere.

27. *Collectanea ad Aulam doctam Mathiæ Corvini Hungariæ Regis.*
28. *Collectanea in hiſtoricam Auſtriæ inferioris Topographiam.*
29. *Collectanea in Acta Univerſitatis Viennenſis potiſſimum Facultatis Theologicæ.*
30. *Collectanea de operibus, quæ inedita putabantur, cum tamen jam pridem lucem viderint.*
31. *Fronaueri Nobiles Auſtriæ ab an.* 1271. *uſque* 1510. ex authenticis fontibus deducti.
32. *Familia Comitum de Vegla, Modruſs, Segniæ de Frangipanibus.*
33. *Syllabus Authorum, qui opera ſua aut præfationes a vocibus his: COGITANTI MIHI exorſi ſunt.* Recenſet talia LXX.
34. *Syllabus Authorum Anonymorum & Pſeudoanonymorum.*
35. *Syllabus operum aut editionum, quæ nunquam integre prodierunt.*
36. *Typographi antiquiores, ſeu libri ſeculo XV. lingua Germanica impreſſi, exhibitis eorum titulis, nomine Typographi, & loco ac anno impreſſionis.*
37. *Continuatio Typographorum Viennenſium uſque ad noſtram ætatem, demonſtrata in nonnullis eorum operibus impreſſis.*
38. *Conſules Viennenſes.* Superant hi numero eos, quos recenſet P. Fiſcher.
39. *Nonnulli Scriptores Carinthi. Quidam Eruditi Carnioli. Aliqui Præfecti monetæ Viennenſes.*
40. *De Maria Rege, an Regina?* Oſtendit Author litem a Belio nondum diremptam.
41. *De tempore & occaſione, qua Leodienſes (de quibus Nic. Olahus Hunga-*

gariæ suæ cap. XIX. §. III. p. 32.) in Hungariam venerunt. Rejecto Belii, aliorumque judicio epocham ingressus eorum figit ad postremos annos Belæ III.

42. *De nominis CLAUDIOPOLIS ætate.* Ostendit Author hujus originem vetustiorem esse ac Clarissimi Viri Szegedi, & Kaprinai existimarunt.

43. *De trium collium origine in insignibus Hungariæ.* Author quidem refert eam cum Cl. Fran. Car. de Palma ad Sigismundi Regis tempora, sed adversus Cl. Scriptorem contendit, Budensem Academiam insigne hoc a Rege accepisse, non vero vice versa ab illa ad hunc transiisse.

44. *Quæ Scriptores Actorum Lipsiensium aliique adversus Péterffy Concilia Hungarica opponunt, expenduntur & discutiuntur.*

45. *De Fertone & Marca argenti.* Eruit quid valoris hæc continuerint.

46. *An omnino velut fabula rejici debeat, ut Frölichius in Dialogo suo contendit, Ottocarum lapsili tentorio delusum.* Author præcipuam Frölichii difficultatem tollit, indigitando Insulam *Kamberk*, quam ille ait non reperiri.

47. **Kritische Nachlese zu den Geschichten der Stadt Wien.**

48. Observationes variæ, & notæ criticæ in nonnulla loca operum Papebrochii, Henschenii, Cuperi, Ger. Vossii, Pezii, Péterffy, Frölichii, Duellii, Nic. Schmitth, aliorumque plurimorum Clarorum Virorum.

49. Præter hæc copiosas atque diversas fecit animadversiones criticas & adnotationes eruditas ad plurium Virorum opera, referendo, occasionem qua prodierunt, singularia fata quæ subierunt, ignoratas eorum editiones, prætermissas recensiones, ementita nomina &c.

Abhandlung über Avancin's Fähigkeit zur Historie, und Kauzens Fehler in seinem Versuche Oesterreichischer Gelehrten.

III.

De Imaginibus Deiparæ in Numis Hungaricis.

III.

Rariora, quæ collegit, deſcripſit, cum aliis contulit &c. Catalogi, & Indices varii.

50. *Singularia ex Regeſto litterarum ad Univerſitatem Viennenſem datarum, & quas viciſſim Univerſitas hæc ad alias Illuſtres perſonas dedit.* Incipit ab an. 1424. & progreditur uſque ad an. 1470. & amplius.

51. *Litteræ Erneſti Ducis Auſtriæ ad Joannem XXII. Pontificem in cauſa rotuli pro Univerſitate Viennenſi cum aliis litteris in favorem Univerſitatis.*

52. *Statuta varia Univerſitatis Viennenſis ex libro M. Nicolai Renner, qui liber eſt inter res Facultatis Artium, continetque longe plura iis, quæ in hoc genere jam ſunt impreſſa.* Incipit ab an. 1554, & aſcendit ultra an. 1578.

53. *Variæ Miſſæ ex Codice MS. bibliothecæ Capituli Poſonienſis ſæc. XIII.* Inter has ſunt: Miſſa S. Joſeph Patriarchæ; Miſſa Patriarcharum Abraham, Iſaac, & Jacob &c.

54. *Necrologium Canonicorum Reg. S. Auguſtini ad S Dorotheam Viennæ Auſtriæ, cœptum cum ipſo Monaſterio, & continuatum uſque ad medium ſæculi prioris, ex membrana deſcriptum.* Deſunt tamen duo ultimi menſes.

55. *Planctus lugubris M. de Peuerbach ſuper morte M. Reinperti.*

56. *Martyrologium Uſuardi, ſeu Codicis Sandorotheani membranacei variantes ad editionem Hagiographorum Antverpienſium lectiones.*

57. *Variantes lectiones Synodi Laurentianæ.*

58.

58. *Variantes lectiones ad litteras Ferdinandi, quæ habentur in Mitterdorferi conſpectu hiſt. Univ. Vien. P. II. pag.* 120. *Ex ipſis actis autographis.*

59. *Appendix ad Chronicon Norimbergenſe eorum, quæ in Codice MSS. bibliothecæ noſtræ Viennenſis non habentur.*

60. *Catalogus bibliothecæ Zwetlenſis, cum notitia eorum, quæ in eadem bibliotheca diſperſa reperiuntur.*

61. *Catalogus MSS. Codicum, qui ex bibliotheca Academica an.* 1756. *ad Cæſaream translati ſunt.*

62. *Indiculus Diplomatarii Hungarici vagi inter exteros, cum exhibitis variis erroribus in Diplomatibus diverſis, quæ hactenus producta fuerunt, occurrentibus.*

63. *Indiculus Diplomatum Rudolphi I, ex quibus præter alia ratio ſuorum itinerum confici poſſet.*

64. *Index nonnullorum Codicum MSS. bibliothecæ Clauſtroneoburgenſis.*

65. *Index in librum II. Diſſertationum Academicarum, cum iis quæ habentur in noſtra bibliotheca Viennenſi.* Sunt hæ Diſſertationes, quæ cum reformatione Univerſitatis Viennenſis cœperunt, dum nimirum quovis menſe duo ex Doctoribus Viennæ degentibus ſuper materia a Directore aſſignata in conſeſſu cæterorum Doctorum diſſererent, quæ Diſſertationes poſtea libro alicui inſcribebantur. Itaque pars una harum Diſſertationum deſcripta eſt apud nos, in partem alteram eſt a Xyſto index confectus.

66. *Index MSS. Codicum bibliothecæ noſtræ Viennenſis.* fol. Eſt is ab Authore ſumma induſtria, accuratione, & eruditione confectus.

Manuſcripta, quæ afficiunt Auguſtinianum Ordinem.

I.

Hiſtorica generalia, ſeu quæ afficiunt totum Ordinem, eaque perfecta.

1. *Diſquiſitio ſuper nomenclatura varia EREMITÆ, ORDINIS S. AUGUSTINI, AUGUSTINENSIS, aut AUGUSTINIANI tribui ſolita Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cum nonnullis in hiſtoriam eorundem criticis animadverſionibus.* 4.

2. *Quatuor-Virum Eremitarum Auguſtinianorum circa Martyrologiorum augmentum & puritatem opera.* 4.

3. *Conatus Hiſtorico-Criticus ad Officia & feſta propria Ord. Fratrum Erem. S. P. Auguſtini.* Illuſtrantur ſimul varia ad Ordinis hiſtoriam & ritus pertinentia. 4.

4. *Adnotationes in Dominici Antonii Gandolfi Diſſertationem de ducentis Auguſtinianis Scriptoribus.* 4. Addit Author „Olim P. Oſſingero miſ-

ſæ,

ſæ, & ſæpe exſcriptæ ab eo, ut conferenti patebit„ Sunt hæ adnotationes multa eruditione refertæ.

Collectanea in hoc genere.

5. *Collectanea in hiſtoriam Univerſi Ordinis Auguſtiniani.*

6. *Libri exterorum, qui cura Auguſtinianorum, aut ex eorum bibliothecis prodierunt.*

II.

Hiſtorica particularia perfecta, dempto ultimo.

7. *Scriptores Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ, ſeu omnes illi, qui aliquid, quidquid id fuerit, ſive proprium, ſive alienum ediderunt, aut manuſcripta reliquerunt, memoriæ poſterorum commendati.* 4.
8. *Memoriæ SS. Theologiæ Doctorum Academiæ Viennenſis, aliarumque Almæ Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ Ord. Erem. S. P. Auguſtini.* 4.
9. *Hiſtoria ſuccincta Cathedræ Theologiæ Moralis ejusque Profeſſorum ab an.* 1622. *uſque ad an.* 1769, 4.
10. *Memoria Antiquo-Nova Virorum Illuſtrium Provinciæ Auſtriæ Ord. FF. Erem. S. P. Auguſtini.* 4.
11. *Chronicon Conventus Pruggenſis Ord. Erem. S. P. Auguſtini ad S. M. Magdalenam, inſertis Diplomatibus ab an.* 1316. *uſque* 1646. *fol.*
12. *De Monaſterio olim noſtro Vratislavienſi ad S. Dorotheam.* 4.
13. *Notulæ breves in Necrologium Confratrum Ord. Erem. S. P. Auguſtini Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ, ex tabulis emortualibus, aliiſque documentis confectæ.* 4.
14. *Collectanea in hiſtoriam Auguſtinianam Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ.*

Quæ ad Aſceſim Auguſtinianam pertinent.

Perfecta.

15. *Speculum Auguſtinianæ Converſationis in Auguſtinianorum ſingularibus virtutum actibus exhibitum.* 4.

Qua-

16. *Quadrageſima Sancta Auguſtiniana, ſeu quadraginta ſex Sancti, & Venerabiles totidem ex Ordine Eremitico S. P. Auguſtini, qui in cultu paſſi Domini ſpecialiter præluxerunt.* 8. Ad hanc opellam in MS. ſæpe laudato addit Author „Nihil in ea magis deſideres, atque rectiorem criſim„ Nec mirum; nam ſcripſerat adhuc an. 1752.

17. *Brevis Inſtitutio Tyronis Auguſtiniani Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ quoad ea maxime, quæ exteriorem hominem afficiunt, ex SS. Patrum & Aſcetarum regulis potiſſimum ſcripta.* 4. In MS. apponit Author „Multa hic fuerunt danda tempori.

18. *Sermones ad Novitios Viennenſes.* 4.

19. *Cultus Menſtruus practicus B. V. MARIÆ, cum Litaniis ex titulis Deiparæ eidem a S. Thoma Villanovano datis.* 8.

20. *Hyperdulia Auguſtiniana Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ.* 8. Eſt enerratio Imaginum Marianarum, quæ per Provinciam noſtram peculiarem habent, vel habere merentur cultum, referturque earum origo, antiquitas, cultus progreſſus &c.

Imperfecta, & collectanea.

21. **Beſchauliche Stücke aus dem Leben des H. Auguſtinus, einiger Lehrjünger, und Mitglieder ſeines Ordens, nach Ordnung der Täge, als von ihnen die Tagzeiten gebethet werden.** 4. Progreſſus eſt uſque ad B. Claram, cujus feſtum agitur XVIII. Aug. Reliquit tamen ſchedas etiam pro reliquis feſtis, ex quibus rem jam perfecit quidam Auguſtiniani nominis Zelator inſignis, & P. Xyſti cultor ſpecialis, ac fortaſſis opuſculum brevi in lucem proferetur.

Ere-

22. *Eremitæ Auguſtiniani Mariophili.* Recenſet eorum CXLII, enarrans breviter, quo in genere probaverint ſuum ſingularem erga B. V. MARIAM cultum.

23. *Elogia B. V MARIÆ attributa a S. P. Auguſtino, S. Thoma Archiepiſcopo Valentino, aliisque claris Ordinis noſtri Viris, quæ in meditationis materiam aſſumuntur in ſingulos menſium dies.* Definit jam in XXIV. Febr.

24. *Virtutes geſtaque ſingularia quorundam Auguſtinianorum Provinciæ Auſtriæ & Hungariæ.*

338.

Editor

Ad Benevolum Lectorem.

PAter Xyſtus Schier in ſua lucubratione: *De Maria Porphyrogenita Sponſa, Anna & Maria Conjugibus Reginis Belæ III Hungariæ Regis*, qua tentamen Hiſtoriæ Reginarum Hungaricæ primæ ſtirpis facere conatus erat, in hunc plane modum præfatus eſt.

„Cum multi & præclari conatus ad Regum Hunga-
„riæ vitas, ac glorioſa facta explicanda coram orbe lit-
„terato comparuerint: nemo tamen, quod ſciam, ac-
„curatiorem Reginarum notitiam hucusque dare intendit.
„Id vero haud ex utilitate factum eſſe perpendenti facile
„conſtabit. Quam multa enim ſunt, quæ ab harum una
„cognitione dependent? Inde ſæpiſſime ratio fœderum,

„aut

„ aut diſſidiorum deſumpta, inde jura in Provincias, inde „ connubia ſoluta ob ſanguinis propinquitatem palam fient. „ Prætereo ſingularia virtutis, pietatisque exempla in ple„ risque obvia, ut dempta una alterave, cæteras omnes „ habeamus digniſſimas, quas ob Majeſtatis amplitudinem „ flexo poplite honoremus, ob virtutem admiremur, & „ ſequamur. Nec vero nulla ſunt in hiſtoriis earum atten„ tiori diſcuſſioni ſubjicienda. Tale eſt Agmundæ conju„ gis Andreæ I nomen figmento proximum; talis eſt So„ phiæ Salomonis exitus & ſepultura. Quæ non reſtant „ in una Gertrudis Andreæ II cæde examinanda; accuſa„ tio & abſolutio Banconis Bani, ambiguum dictum Jo„ annis Strigonienſis Archiepiſcopi, crimen Egberti Bam„ bergenſis Præſulis? Sed ut hæc aliaque plurima tempori „ alteri aut calamo relinquam &c.

En ergo tempus illud, cui reſervata eſt hæc hiſtoria, ab ipſo quidem prius adornata, nunc autem primum in lucem emiſſa. Nec habeo, quid huic Authoris præfationi am-

amplius adjiciam, nisi quod animadverterim, quam hic tribuit Salomon i Regi conjugem, non Sophiam, ut hic dicitur, sed Juditham in opere appellari, neque aliquid peculiare, ut tamen insinuare videtur, habere hujus exitum & sepulturam. Cæterum quod ad finem ait: *Fortassis ubi per occasionem reliquas primæ stirpis Reginas eadem methodo descripsero, campus erit admonendi Lectorem, si quid ipse in hac opella fefellissem*; solum deprehenditur unam e filiabus Belæ III, quam Helenam nuncupaverat, submovisse: in reliquo pluribus eruditis additionibus eandem hanc opellam respersit, ut patebit conferenti eam cum illa prima.

Unum tamen adhuc addidero. Postquam Cl. Author seriem Reginarum jam descripserat, plura adhuc ei occurrerunt, quæ quidem ipse sine ullo ordine, sed prout in calamum illapsa fuerunt, congessit, ac veluti in unum cumulum contulit, suis locis aliquando, si vixisset, quæque inserturus. Hæc porro non levis molestia mihi sub-

eunda fuit, onus nimirum diſcriminandi hanc rerum farraginem, rectèque ordinandi. Unde ergo facto delectu, quæ ad rem præſentem facere exiſtimavi, ſuis debitis affixi ſedibus, cætera (quæ tamen pauca ſunt, & quæ fortaſſis ipſe etiam Author neglexiſſet) ſimpliciter prætermiſi. Cum ſubinde etiam quorundam Clarorum Virorum opera in orbem prodierint, quæ rebus hiſce majorem lucem attulerunt; fuerintque pariter Viri Eruditi qui exitum, quem Author fruſtra quæſiverat, in rebus quibusdam arduis feliciter adinvenere: horum illorumque ſubſidio hos Authoris labores etiam ſuis locis emendavi, illuſtravi, aut ſaltem, ubi ab illis deflectat, indicavi.

GISLA
S. STEPHANI CONJUX.

Si, quam olim Jacobus Philippus Foreſtus Bergomenſis Eremita Auguſtinianus Reginæ hujus vitam daturus (1) præ oculis habuit, errorumque multorum arguit, (2) hiſtoriam nanciſci licuiſſet, fortaſſis certius aliquid haberemus præter opinionem ipſius Foreſti, qui dum eam emendare voluit, plures in errores incidit. Sed neque vitæ illius germanico idiomate apud Niderburgenſes Moniales exiſtentis conſequendæ erat copia. Igitur ex compluribus oportebit, ut in cæteris, hiſtoriam texere. Nata eſt Gisla (3) Henrico Rixoſo Bavariæ Duce, & Giſela Burgunda. Prima pietatis rudimenta apud ſuos poſuit Duce Divo Wolfgango Ratisbonenſi Antiſtite, qui ei adhuc tenellæ Regium thalamum, & thro-

1) In libro inſcripto: *De claris plurimis ſelectisque mulieribus opus prope divinum noviſſime digeſtum.* Dicat author Beatrici Reginæ Mathiæ I Conjugi.

2) In opere cit. *Cujus hiſtoria licet multo verſetur in errore, nihilominus in ea enitemur eos ſequi, vel qui probatiſſimis argumentis utuntur,* Idem etiam in ſupplem. Chron. ad an. MXII. provocat: *Erat enim hæc Regina, ut ejus præclara teſtatur hiſtoria.*

3) *Gislam*, non *Giſlam* appello: quod ita ſuis dictam tres caſulæ infra referendæ adhuc exhibeant.

num haud obſcure (4) prænuntiavit. Equidem ſancta ejus dici poterat fraternitas, cujus ſoror Birgitta monaſticam vitam amplexa eſt; Bruno alter fratrum Eccleſiæ ſervitiis ſe dicavit; alter Henricus ſanctitatis gloria per orbem Chriſtianum celebratur; Gisla electa eſt, quæ Hungariæ penitus ad Chriſtum perducendæ ſociam jungeret operam. Cum enim Geyſa Dux a Baptiſmo non ita unius ſupremi Numinis cultui ſe conſecraſſet, ut gentiles ritus integre deſereret, (5) adeoque periculum relapſus ſemper immineret (malum vicinæ Germaniæ eo magis præcavendum, quo plus a gentili feritate, excurſionibusque barbaris Ungarorum timendum habebat,) Otto III. Imp. Geyſæ filium Stephanum hinc conjuge Chriſtianis parentibus orta fidei fortius (6) adſtringendum, inde Regia corona poſtmodum a Pontifice impetrata devinciendum (7) exiſtimavit, non ne-

4) Auctor vitæ huius Sancti apud Mabillonium ſeculo V Benedictino P. I. pag. 827. *Sed neque hoc ſilemus, quia aliquando per Prophetiæ Spiritum ea, quæ ventura erant, quaſi præſentia vidit. Quod maxime in provectibus liberorum Ducis Heinrici pateſcit. Cum enim ad eum, ſicut ſæpe ſolebat, cauſa benedictionis duceretur ſpecioſiſſima illius proles, Heinricum, qui poſtea DEI nutu Rex eſt effectus, prænominavit Regem; fratrem vero ejus Bruonem appellavit Antiſtitem; ſororem eorum maiorem* (Gislam), *Reginam; alteram autem, quam baptizavit, & de ſacro fonte ſuſcepit, Abbatiſſam nuncupavit.*

5) Ditmarus lib. VII. *Hic tamen* (Geyſa) *Domino omnipotenti, variisque Deorum illuſtrationibus immolans, cum ab Antiſtite ſuo ob hoc accuſaretur, divitem ſe, & ad hoc faciendum ſatis potentem affirmavit.* Author vitæ S. Adalberti Tom. III April. Act. SS. *Inde factum, ut intermiſceretur cum paganiſmo polluta religio, & cœpit deterior eſſe barbariſmo languidus ac tepidus Chriſtianiſmus.*

6) Ademarus Monachus Engoliſm. (Tom. III. Caniſ. p. 67.) *Ipſi filio eius Stephano Otto Imperator ſororem Henrici poſtea Imperatoris in coniugio dedit.* Herm. Contr. ad an. MCCCCXCV. *Huius* (Henrici) *ſoror Giſela Stephano Regi Ungariorum, cum ſe ad fidem Chriſti converteret, quaſi vere iuxta nomen ſuum fidei obſes* (Geiſel germanicum) *in coniugium data.*

7) Ditmarus lib. IV. *Imperatoris Ottonis gratia & hortatu Vaic* (alias Stephanus)

ge-

neſcius plurium regnorum converſiones felicibus conjugiis jam olim fuiſſe perfectas. Optio itaque in Gislam incidit, cujus frater Henricus tanto facilius aſſenſurus erat, quanto ſanctioribus deſideriis ipſe in DEUM ferebatur. Deſignatio ſponſæ videtur vivente adhuc Geyſa (8) an. DCCCCXCV. contigiſſe; ipſas tamen nuptias ulterius differri oportuit ob imparem connubio ſponſi ætatem, & fortaſſis, ut opere complere inciperet, quam in pactis nuptialibus ſpoponderat regni integram converſionem. Neque his aliquid meritis Divi Stephani detrahitur, qui quod facturus erat alioquin, aliis idem deſiderantibus ſe præſtiturum ſpoponderit. Succeſſit mortuo Geyſa domeſtica Hungariæ diſcordia, bellum Bohemicum, Cupæ rebellio, quæ ſequentibus annis impedimento fuere ſolemnibus nuptiis. Annum milleſimum occupavit reductio Hungariæ in Diœceſes, & ipſa Stephani coronatio, alterum annum Henrici fratris abſentia. Tandem anno ſecundo Henrico ipſo a morte Ottonis ad Imperialem dignitatem elevato, demonſtrataque per Stephanum promiſſorum expletione Hungaria dignam throno ſuo Reginam Gislam accepit. (9) Nuptiis Menſe Novembri Schyræ apud Bavaros celebratis comitante ipſo (ut videtur) in has terras (10) fratre

gener Ducis Bavariorum in ſuo regno Epiſcopales cathedras jaciens, coronam ac benedictionem accepit.

8) Joan. Staindelius in Chron. ad an. DCCCCXCIV. has nuptias conſignat. Hermannus contr. ad h. a. quem poſui, mea quidem opinione ex profeſſo.

9) Nuptias ante an. MIII. celebratas certum habeo; ex antecedentibus vero annis ſecundus illius ſeculi mihi aptiſſimus videtur ob rerum connexum; & quod Henricus frater nonniſi an. MII. factus ſit Rom. Rex, cum tamen Chartuitius ex eo, quod Auguſti ſoror fuerit Gisla, has nuptias laudandas putaverit.

10) Exhibet Abbas Beſſelius T. I. P. I. Chron. Gottwicenſis diploma datum Haſel-

Regina deſcendit, haud multum poſtea corona auguſta (11) ornanda. Ampliores tum Religio Chriſtiana ſumpſit ſpiritus, factumque id tanto cum ſplendore, ut plurimis tum velut recenter converſum hoc regnum videretur, atque inde non pauci integrum opus Gislæ, & Henrico ejus fratri (12) adſcriberent. Non tamen nihil ad perfectionem operis Regina contulit. Ipſa conſilio adeſſe, exemplo pietatis præire, verbis, & adhortatione inſiſtere, fidem operibus Chriſtianis probare, ut omnibus eſſet admirationi. (13) Primos in-

---

ſelbachii hoc anno: quem locum ego quidem in Auſtria quærendum puto, quamvis in Bavaria duo ejus nominis loca reperiantur.

11) Chartuitius in vita S. Stephani cap. II. num. 13. *Ad conſortium vero, præcipuæ cauſa ſobolis propagandæ, ſororem Romanæ dignitatis, Auguſti videlicet Henrici, qui ob morum manſuetudinem Pius eſt appellatus, Gyslam nomine ſibi matrimonio ſociavit, quam unctione chryſmali perunctam, geſtantem coronam regni ſociam eſſe conſtituit.*

12) Otto Friſing. lib. VI. cap. XXVII. *Sorore Giſela Stephano Ungarorum Regi in uxorem data, tam ipſum, quam totum ejus regnum ad fidem vocavit.* Wernherus de Rollewinck in Faſcic. Temp. ad an. MIII. *Habuit* (Henricus) *ſororem æque virtuoſam, quam Sancto Stephano Regi Ungarorum dedit, & totam Ungariam ad plenam fidem perduxit,* Henr. Wolterus in Chron. Bremenſi T. II. Meibomii p. 37. *Hic convertit Ungariam, & Stephano Regi ſororem ſuam copulavit in matrimonium.* Chron. Principum Pol. (T. I. Sommersbergii p. 17.) *Cui* (Stephano) *Sanctus Henricus Imperator ſororem ſuam tradidit poſtea in uxorem, & quamvis Stephanus Rex Hungariæ natus fuiſſet de parentibus Chriſtianis, non tamen plene converſus extitit, donec Henricus Imperator cum toto regno Hungariæ ſic ad fidem converteret, ut poſtea factus Sanctus multis miraculis coruſcaret.*

13) Jac. Phil. Bergom. in ſupplem. ad an. MXII. *Erat enim hæc Regina, ut ejus præclara teſtatur hiſtoria, pietate, innocentia, benignitate, religione, atque hoſpitalitate adeo inſignis, & conſpicua, ut in toto orbe ei non inveniretur conſimilis:* Idem in vita cit. *Id quoque in hac muliere magnum, & divinum profecto fuit, quod peregrina in*

Re.

inter miſerentis Gislæ animum expertus eſt ipſe Bruno frater Auguſtenſis Præſul, quem an. MIII. a facie fratris Henrici profugum non modo recepit, & ſolata eſt, ſed & precibus apud maritum interpoſitis evicit, ut is mediator eſſe vellet. Miſſi cum Brunone Legati in Bavariam eidem veniam impetrarunt, pacem & concordiam reſtituerunt. (14) Neque vero calamitoſorum aliquod fuit genus, quod Reginæ opem non ſentiret, & in quo ſe Chriſtum non reperiſſe eadem crederet. Quando tamen a Sacrorum Majeſtate, & Miniſtrorum honore Religionem plurimum dependere noverat, quam maxime adlaboravit, ut ne Miniſtris aliquid deeſſet, & ipſis divinis officiis a pretioſo apparatu reverentia accederet. Perpetuum hujus ſancti deſiderii monumentum facta eſt Baſilica Veſprimienſis, quam novam e fundamentis erexit, (15) & Nitrienſe templum, quod reſtauravit. (16) Budæ, quam poſtea veterem dixere (17) Alba

---

Reginam a barbaris accerſita, omnia ſuadendo tam cito, tamque magnifice ac ſancte potuerit immutare.

14) Adelboldus Ep. Ultraject. in vita S. Henrici (Tom. III. SS. Menſis Julii ad diem XIV.) *Dominus Bruno . . , apud Bulislaum conſolationem non inveniens ad ſororem ſuam Ungaricam Reginam confugit, & etiam ſemetipſum recognoſcens, interceſſionem ejus imploravit,* Et poſtea: *Ibi ei Dominus Bruno cum Legatis Ungarici Regis, qui ad intercedendum pro eo veniebant, ad ſe reverſus obviam venit, & veniam pro commiſſis humiliter poſtulans fratris viſcera movit, & celeriter ad ignoſcendum inflexit.*

15) Chartuitius loc. cit. *Quæ* (Gisla) *qualis erga Dei cultum ornandum extiterit, quam frequens, & benedicta circa Dei ſervientium congregationes apparuerit, multarum Eccleſiarum cruces, vel vaſa, vel paramenta, opere mirifico facta, vel contexta, uſque hodie teſtantur. Præ cunctis tamen domus Epiſcopatus Veſprimienſis, quam ipſa a fundamento cœptam omnibus ſufficientiis ad ſervitutem Dei in auro, & argento, veſtimentisque multiplicibus nobiliter adornavit.*

16) Inchofer in Annal. Eccl. Hung. ad an. MIX. putat a Gisla S. Emerami Ba-

ba Regali, alibique concurrit, ut Sacerdotia DEO digna erigerentur, & ſacris inſtrumentis debite inſtruerentur. Memorabiles præcipue ſunt tres caſulæ ſuperſtites, quarum duæ olim ad Eccleſiam Albenſem pertinentes, poſtmodum in pallii formam aptatæ ſunt, una inter regni cimelia Regum coronationi adhibenda (18) & adſervanda; altera theſauro Cæſareo illata (19). Tertia Metis in Baſilica S. Arnulphi (20) adſervatur, perpetuum Stephani, & Gislæ teſtimonium ſanctæ in Romanam Eccleſiam, ejusque Paſtores obſervationis. Ita quidem redditus ſuos, tempusque a liberorum inſtitutione, & cæteris pietatis operibus reſiduum impendebat Regina, ut propriis manibus veſtes ſacras acu pingeret, quas deinde Eccleſiis donaret: quod noſtris temporibus etiam venerabundi in Auguſtis Eleonora, Amalia, Eliſabetha, ac Maria Thereſia ſuſpicimus. Ipſa itinera ſuum ferebant laborem; ubicunque enim in Eccleſias deveniſſet, ſuppellectilem diſquirebat, & ſi quid attritum, aut lacerum reperis-

---

Baſilicam in arce Nitrienſi extructam; quod de reſtauratione intelligi poteſt.

17) Thurocz P. II. cap. XXXI. *Dum ædificaretur, Magiſtri lapicidæ de Græcia duxit erant: & Sanctiſſimus Rex cum Regina ratione devotionis ibidem degebat; Regina autem cruces, tabulas, & ornamenta procurabat.*

18) Hanc deſcripſit Petrus de Rewa in commentario de S. Regni Hungariæ corona p. 80.

19) Iſtam duce P. Eraſmo Frölich S. J. deſcripſit Franciſcus L. B. Balaſſa de Balaſſa Gyarmath in opuſculo: *Caſulæ S. Stephani Regis Hungariæ vera imago, & expoſitio. ed. Viennæ. MDCCLIV.* in 4. de hac caſula intelligo Wolfgangi Lazii (lib. VII. de migr. gent. p. 255.) locum: *Cujus* (S. Stephani) *nos pallium manu textum Hungariæ regni ex inſignibus unum, ante biennium Regi noſtro Sanctiſſ Ferdinando allatum vidimus: in cuius fimbria Giſilæ quoque nomen additum fuerat.* Scribebat hæc Lazius ſub an. MDLV.

20) Theodoricus Ruinart in itinere litterario in Alſatiam, & Lotharingiam (Tom. III.

riſſet, renovari curabat. (21) Non modicum quoque ad pium finem ſuum fecerunt deductæ (22) Germanorum coloniæ, quæ ſicut Reipublicæ commodæ erant augmento incolarum, ita Religioni pro-

III. Opuſc. Mabil. & Ruinart p. 476.) narrat: *In ſacrario ſuperſunt multa cimelia, quæ minutatim nobis oſtenſa ſunt. In his Caſula ex ſerico rubeo formæ antiquæ, id eſt plane rotunda. Circa collum acu depictæ ſunt undecim figuræ totidem circulis incluſæ, auro, & gemmis ornatæ. Duplex eſt ab ea parte, quæ collo immittitur, ad infimum uſque faſcia acu pariter facta, una ſcilicet ſupra pectus, altera in dorſo. In anteriori, tribus circiter digitis lata, repræſentantur Chriſtus Dominus throno inſidens cum his litteris:* A. Ω. *Inferius extat Sancti Petri figura cum his litteris:* S. PETRUS. *Tum Seraphim cum hac:* SERAPHYM. *Deindé S. Paulus, & tandem alter Seraphim cum ſuis inſcriptionibus. Inferior faſcia uno ſemidigito ſtrictior eſt; in ſuprema eius parte hæc legitur inſcriptio litteris Romanis duas in lineas diviſis acu exarata:* † S. VNGARORUM R. ET GISLA DILECTA SIBI CONJUNX MITTUNT HÆC MVNERA DOMNO APLICO JOHI. *Infra hanc inſcriptionem decem ſunt Apoſtolorum figuræ cum eorum nominibus. Ii ſunt SS. Petrus, Paulus, Andreas, Jacobus, Thomas, Thaddæus, Simon, Jacobus, Mathias, & alius, cuius nomen legi nequit. Hanc Caſulam a Leone IX, qui veterem Baſilicam dedicaverat, monaſterio donatam fuiſſe traditione creditur.* Meminit ejus caſulæ Mabillonius Tom. III. p. 206. unde etiam inſcriptionem emendatam deſcripſi. Putat is Joanni XIX. Papæ fuiſſe miſſam.

21) Thurocz cap. XXXI. *Regina Keisla, dum ad aliquas Eccleſias in Hungaria deveniſſet, omnes apparatus in domo Domini exiſtentes, ſibi præſentari faciebat, & renovanda tam in Sindone, quam byſſo omni anno renovabat,*

22) Andreas II. in diplomate an. MCCXXXI. dato: *Nos chariſſimi progenitoris noſtri Regis Belæ, nec non Baronum noſtrorum ducti conſilio, dilectis, & fidelibus noſtris hoſpitibus Teutonicis de Zattmar Némethi juxta fluvium Zamos reſidentibus, qui ſe dicebant in fide Dominæ Reginæ Keyslæ ad Hungariam conveniſſe, talem dedimus, donavimus, & conceſſimus libertatem.* Thurocz P. II, cap. XVIII. *Hermanni etiam generatio cum Regina Keisla introivit; liberi homines ſunt de Nüremberg, hæreditatibus pauperes.*

pagandæ, conſervandæque in plebe ſerviebant. Proles plures genuit, plerasque in infantia abreptas, quarum ne quidem nomina, numerumve novimus. (23) Emericus in ſancti avunculi gratiam (24) nomen accepit, quo uno filio, ſi cætera neſciremus, tantæ matris pietas concludenda eſſet. Verum & hunc ipſo prius conjuge illatum cœlo vidit. Filiæ duæ referuntur Hedwigis (25) & anonyma alia (26) exteris conjugibus datæ, quas aliis examinandas, demonſtrandasve relinquimus. Itaque cum prole maſcula carerent Regii Conjuges, in id incubuere, ut talem ſaltem ſucceſſorem adoptarent, qui Religioni Chriſtianæ certo addictus perſeveraret. Quam recte enim hujus cauſa Andream, Belam, & Leventhe excluſerint, everſa

---

23) Chartuitius Cap. IV. n. 26. *Judicio æterni perſecreti conſilii quandam examinationem in filiorum ſuorum obitu ſibi ſenſit* (Stephanus) *immittere verbera, quos in ipſis infantiæ gradibus infantes, qui dedit, abſtulit.* Oſwaldus Pelbartus ſerm. 2. de S. Steph. *Nam filii ſui parvuli, videlicet Otto & alii, quorum nomina tacentur, diu ante mortem Regis deceſſerant.* S. Steph. in diplomate Sanctimonialibus de Valle Beſprem dato: *Pro animæ meæ ſalute, una & conthoralis & filiorum meorum.* Belæ Notarius cap. XI. *Dobuca Pater Senadi filius S. Steph.*

24) *Henricus*, & *Emericus* idem nomen eſt, quod pluribus exemplis oſtendi poteſt.

25) De hac B. Eberhardi e Comite Nellerbachenſi Monachi Benedictini matre Joan. Murerus Carthuſianus in Helvetia ſacra (Act. SS. VII. Aprilis T. I. p. 670.) *Circa annum Chriſti milleſimum quartum in Suevia Germaniæ ſuperioris Provincia floruit Eppo Comes Nellerburgenſis dives agris, opibusque, qui matrimonio ſibi junxit Hedwigem Sancti Hungarorum Regis Stephani filiam, & S. Henrici Imperatoris ex Giſila ſorore neptem.* Bucelinus eam non ſemel Toxonis (Toxis) Hungariæ Regis filiam dicit. Stumpfius, unde ſua ſe hauſiſſe Murerus dixit, ſolum ait Regia ſtirpe genitam. Vid. Acta SS. Ord. Benedict. T. VI. P. II. p. 337.

26) Pelcz in Geyſa ſuo matrem Andreæ, Belæ, & Leventhe filiam facit Stephani; verum ipſa horum converſatio poſterior mihi rem facit incredibilem.

ſa prope Religio in ipſorum e Polonia reditu demonſtravit. Electus eſt Petrus ex ſorore conjugis natus, quem in Hungariam traductum patriis moribus aſſueſcere, Ducis titulum ferre (27) & exercitui interea præeſſe voluerunt (28). Benene ita Hungariæ conſultum fuerit, non diſputo: ſed res a voluntate, non ab eventu metiendæ ſunt. Sane poſterorum plures ea ex cauſa Gislæ famam lacerarunt, tandemque a ſuis diræ neci datam tradiderunt (29). Verum quemadmodum æquiores ſcriptores cætera de Vazule excæcato adjuncta aut excuſant, aut pro fabula habent, ita cauſa, & ratio mortis omnino falſa eſt. Sed ad reliqua Gislæ revertamur. Stephanus an. MXXXVIII (30) moriens Conjugem Petro commendavit. Populus inſigni teſtimonio virtutis Reginæ ſuæ eam porro imperare juſſit; illa vero Petrum deſtinatum a Conjuge Regem ſocium aſſumpſit (31). Verum *vix dum elapſo a Stephani morte anno* (32)

 cum

---

27) MS. Mellicenſe: *Primum tractavit de ſubſtituendo Rege pro ſe, Petro videlicet ſororis ſuæ filio, quem in Venetia genitum, ad ſe vocatum, jam dudum exercitui ſuo præfecerat Ducem.*

28) Joan. Archidiac. de Guercſe apud Kercſelich in Notitiis præliminaribus pag. 101.

29) Albericus ad an. MX. p. 45. *Sed illa Gisla Regina, ut dicunt, multas malitias in terra illa fecit, & extremum poſt mortem Sancti Regis meritis exigentibus interfecta eſt.* Conferatur Thurocz. cap. XXXIII. & ſeq.

30) Necrologium Fuldenſe apud Leibn. T. III, p. 768. ad h. a. *Stephanus Rex Ungariorum*, Auct. incerti Chron. col. 552. Chron. Mellic. col. 223. Salisburg. col. 341. Admont. col. 175. Auguſt. p. 496. Wippo p. 442. ad h. a. *Eodem anno Stephanus Rex Ungarorum obiit relinquens regnum Petro filio ſororis ſuæ.*

31) Joan. Archidiac. de Gvercse loc. cit. *Itaque* 1038. *mortuo Sancto Rege, dum viduam eius excludi non poſſe videretur, ipſa Petrum, qua deſtinatum a marito Regem, ut dicebatur, in ſocium curarum aſſumpſit.* Primus igitur hic Hungariæ Conregens.

32) Brunerus ex Chron. Altahenſi in Annalibus Boicis P. II. lib. X. p. 857.

cum ſimulato luctu fidem, curamque Gislæ poſuit, & ex tutore (& ſocio) *prædo factus, cultum ei a marito relictum, vitæque non ornamenta modo, ſed etiam ſubſidia miſeræ abſtulit, & liberæ cuſtodiæ anguſtiis circumſcriptam non ſatis habuit arcere publico, ſed etiam familiarium congreſſu, & alloquio excluſit. Proceres indignam Reginæ ſortem miſerati, Regem officii ſui, datæque fidei admonuere .... Surdum ad has voces execrati, quod obſideri aures illius a Budone nequiſſimo polatinorum ſatis ſcirent, eum ad necem depoſcunt, Regeque contra hiſcere non auſo fruſtillatim concidunt, & liberis ejus oculos excludunt.* Inde cum adhuc Reginæ ſors non mutaretur, (33) unione facta Samuelem Ducem Oba dictum Regem de cernunt. Attamen cum Abba imperante nulla videret meliora ſidera affulſura, Gisla Henricum Imp. an. MXLII a coercito hoc Principe reducem aſſequuta, Paſſavium abiit, ibique in Niderburgenſi Benedictinarum Monialium cœnobio reliquam vitam egit, ad quod accendebat Cunegundis Auguſtæ exemplum. Suſpicari vero fas eſt, eam in hoc ſuæ quietis termino, quem contempto mundo elegerat, nihil jam terreni cogitaſſe, nullis jam fluctibus expoſitam, quin potius a felici mutatione regni relicti ad majora animatam; quamvis enim a longe velut e ſpecula Hungariæ viciſſitudines ſpectarit, ſæpe etiam deploraverit, dum tamen Conjugem ſuum an. MLXXXVI. Sanctis adſcriptum, ejus ſacra lypſana elevata, dexteram eleemoſynarum olim diſpenſatricem a corruptione communi præſervatam, Ladislaum ſancte imperare accepit, ſane hæc talia fuere, quæ animum ejus non potuere non ad ſumma gaudia excitare, alteriusque patriæ delicias præguſtandas præbere, quibus Conjux ſuus, judice Ecclе-

---

33) Joan. Archidiac. loc. cit. *Sed is totum habere cupiens, eam cuſtodiæ anguſtiis concluſam miſere habuit. Duces, Epiſcopi, Comites, ad quos regno providere pertinebat, ſibi metuentes, dum hæc patrari cum Regina videbant, Samuelem Ducem Oba dictum, qui ex primis Hungarorum Ducibus, Etheo nempe deſcenderet, Regem dicunt.*

cleſia jam frueretur. Rexit ſecunda Abbatiſſa monaſterium, dum ſenio ſummo confecta an. MXCV. Nonis Maji (34) vivere deſiit. Funus ejus ingenti concurſu populi celebratum miraculisque fuit illuſtratum (35). Populi vox eam Beatis accenſuit, & non vicini modo, ſed & Hungari olim peregre advenientes tumulum ejus honorarunt. Supereſt hic tumulus, non tamen cultus, poſtquam is ineunte ſec. XVI undique aliquamdiu refrixit, hic penitus extinctus eſt, Hungaris paſſim communi turbine abreptis, & domeſticis calamitatibus, ac Turcarum furore avocatis. Videtur Gislæ aliqua memoria olim Albæ Regali fuiſſe erecta, & fortaſſis aliquæ ejus reliquiæ illic pone corpus S. Stephani repoſitæ; unde factum eſt, ut Bergomenſis laudatus in Albenſi Eccleſia ejus corpus digno fuiſſe ſervatum honore retulerit (36). Conjicit Mabillonius (37) Gregorium Epiſcopum apud easdem Niderburgenſes ſepultum ex Oriente, id eſt *Hungaria*, ubi eremiticam vitam duxit, Patavium cum Gisla

34) Hundius in Metropoli tit. fundat. Monaſt. verbo, *Niderburg. An. MXCV. Nonis Maii obiit Giſela S. Henrici ſoror, uxor S. Stephani Regis Ungarorum Abbatiſſa ſecunda huius Niderburgenſis Pataviæ loci.*

35) Bergomenſis in vita: *Poſt dormitionem . . . Stephani Regis viri ſui, qui* (a coronatione) *ſeptem, & triginta annos regnaſſe dicitur, ipſa diu uſque ad ultimum ſenium ſupervixit, quod plane tempus in ſumma ſanctitate, & illius populi utilitate peregiſſe ipſam conſtat. Obiit igitur hæc Sanctiſſima Regina non celeri, neque repentino obitu, ſed ſenſim, ac levi quidem deficiens morbo. Qua defuncta univerſi populi oſtenderunt eius vitæ deſiderium in ſepultura. Nam e veſtigio totius regni populi propter eius admiranda miracula publicis ſimul concurſibus ad inferias convenere.* Confer quæ de Gisla Petri matre mox infra dicentur.

36) In ſupplem. Chron. ad an. MXII., & in vita.

37) In Annal. Benedict. T. IV. lib. VII. num. XCIX. Conf. Hundius in Metropoli T. II. p. 585.

veniſſe, eundemque eſſe, qui Romualdi diſcipulus Archiepiſcopus in Gentibus factus eſt. Inchofer (38) putat Virginem Emerici uxorem relictam cum Gisla ſocru Patavium commigraſſe: quod referre volui.

---

38) In addendis ad Annal. Eccleſ. Hung. ad p. 365. Thurocz cap. XXX. *Regina vero Keisla, uxor S. Regis dictam Eccleſiam aureis crucibus, fuſoriis tabulis, calicibus, gemmis, & ornamentis ultra modum ditavit.* Inſcriptio tumuli: *Nonis Maii obiit Ven. Dna. Giſyla ſoror. Sancti Hainrici Imperatoris. Uxor Stephani Regis. Hungariæ. Abbatiſſa. Huius monaſterii. hic ſepulta. Anno Dni.— MLXXXXV.* Id mirum cur Stephano Sancti titulus prætermiſſus. Aventinus Annal. Boic. lib. V. p. 324. *Cæſar Henricus ex Hungaria reverſus ..... ſecum Giſelam Reginam, uxorem divi Stephani abducit. Pataviæ, ubi in templo ſacratarum fœminarum eius Mauſoleum oſtenditur, collocavit.* Præerat tum cœnobio Heilka S. Henrici, & Gislæ amita. V. Hundius in Metropoli Salisburg. T. II. p. 585.

GIS-

GISLA

MATER PETRI REGINA DICTA.

Interfero hanc ex conſuetudine Hungarorum Matres Regias (1) Reginas appellantium, etiamſi inferioris antea fuerint conditionis. Nata erat Geyſa Duce, ſoror Divi Stephani, data ſub an. MVIII (2) in Conjugem Ottoni Venetiarum Duci. Verum vir ejus an. MXXVI. in exilium miſſus, & an. MXXXI. in eodem defunctus eſt. Hæc certa ſunt. Cætera per conjecturam veroſimilem ex iis, quæ B. Giſelæ Conjugi Divi Stephani afficta ſunt, ad ipſam transfero. Conjugis fatis agentibus Gisla cum prolibus in patriam regreſſa eſt. Mortuo Divo Emerico Duce, & Petro filio ſuo a D. Stephano in ſucceſſorem, cui interea Ducis titulus datus eſt, decreto, ipſa ut regnum filio firmaret, Vazulem jam e carcere liberandum excæcari fecit. (3) Neque tamen in hac crudelitate ſubſtitit, donec Petro filio imperante, ſed ſuis jam exoſo, ipſa meritis exigentibus occiſa fuerit (4) a ſuis. Præter Petrum filium ge-

---

1) Sic Andreas III. Matrem Thomaſinam, Mathias Corvinus Eliſabetham Reginas dixerunt.

2) Laur. de Monacis lib. IV. p. 76. *Anno 18. ſuæ ætatis filiam Geicæ Regis Ungariæ ſibi matrimonii fœdere copulavit.* Dandalus. *Filiam Geyſæ Regis Ungarorum, & ſorem Stephani ſucceſſoris duxit in uxorem, mulierem utique generoſitate ſerenam, facundam* (jucundam) *& honeſtate præclaram.* Attamen ſi Otto III. Imp. Conciliator fuit, ut vult Kercselich in Not. prælim. p. 150. utique nuptiæ hæ prius peractæ ſunt.

3) Thuroczius P. II. cap. XXXIII, & XXXIV.

4) Albericus de B. Giſela. ad an. MX. loc. cit. chron. Belg.

genuit Adelaidem poſtea Henrico Auſtriæ Marchioni nuptam. Fabula eſt, filiam aliquam Geyſæ Wilhelmo Burgundo, aut Comiti Pictavienſi (5) nupſiſſe. Id ex confuſione Giſelarum contigit. Giſela mater B. Gislæ Burgunda fuit. Agnes (6) Henrici III. Imp. fuit filia Wilhelmi Comitis Pictavienſis, adeoque fuiſſet ſoror Petri Regis, cujus rei nemo meminit. Neque Petrus Alemanno patre natus fuit; omnes enim exteri eum *Venetum* (7) dicunt. Denique

---

5) Citatur pro hoc Aloldus de Pecklarm; verum ab hujus teſtimoniis ferendis me abſolvi poſtulavi.

6) Glaber Rudolphus lib. v. cap. 1. *Henricus duxit uxorem filiam Wilhelmi Pictaviorum Ducis nomine Agnetem.* Quæro, unde factum ſit, ut nemo Henricum Imp. Petri Levirum appellarit? Nemo Albertum Marchionem, & eundem Henricum affines pronuntiarit? Nemo inter cauſas vindicati Petri affinitatem aſſignarit? Hepidanus ad an. MXLVIII. *Rebus omnibus in pace compoſitis uxorem duxit filiam Wilhelmi Ducis Pictavienſis.*

7) Herm. contr. ad an. MXXXVIII. *Ipſo anno Stephanus Ungarorum Rex . . . . Petrum ſororis ſuæ filium de Venetia natum pro ſe Regem conſtituens obiit.* Chron. Principum Pol. T. I. p. 21. *Rege Stephano de hac luce ſublato Petrus Venetus quidam Ungariæ regnum gubernandum accepit.* Conf. MS. Mellic. Petrus ſtatim initio in Germanos movit. Herm. contr. ad an. MXXXIX. *Petrus Rex Ungariorum hyeme terminos regni ſui* (Henrici III.) *prædis, incendiis, & captivitate depopulatur.* Hepidanus ad an. MXLVII. *Petrus Rex Ungariorum a quodam Comite ſuo turpiter proprio regno expulſus ad ipſum Regem Heinricum deprecans auxilium confugit; cuius infortunium Rex piiſſimus, quamvis prius ab eo læſus miſerans ſortem humanæ fragilitatis flevit, ipſi autem paternum ſolatium rebus, & verbis exhibuit.* Fortaſſis non male dixero, ſi hæc Veneta cognatio occaſio S. Gerardo in Hungariam veniendi fuit. S. Steph. in lit. fund. Monaſterii Beel an. 1037. datis: *In quo Gerardus Monachus de Venetia veniens primus cœpit converſari.*

que Wilhelmus prætenſus, & Otto Venetiarum Dux diverſi ſunt; hic ex Urſeola gente natus: ille filius Adalberti nepos Berengarii Italiæ Regis an. MXXVI. mortuus; iſte an. MXXXI. Fortaſſis etiam illa Gisla, cujus epitaphium Veſprimienſe meminit, eadem cum hac eſt, & erronee ab Hiſtoricis Divo Stephano Conjux eſt attributa. Certe nec alteram Gislam, nec alium Sanctum Regem ſcimus, quod tamen epitaphium a Bonfinio relatum poſtulat, ut compleatur: ipſe ſtilus epitaphii ſec. XV. opus, ſeu renaſcentes litteras indicat. (8)

GESLÆ, ET OLHAIT
Stephani & *LADISLAI*
Sanctiſſimorum Pannoniæ Regum
Conjugum
hic oſſa quieſcunt.

---

8) Editori quidem hujus operis, niſi is fallatur, hæc via videtur expeditiſſima ad componendum hac in re diſſidium Scriptorum Hungaricorum, quale etiam noviſſime exarſit inter Clariſſ. Viros Ant. Ganoczyum Præpoſitum S. Auguſtini de Inſula Lazari, Cathedralis Eccleſiæ Varadinenſis Archidiaconum & Canonicum, ac Georg. Prayum.

Anonyma.

PETRI PRIMA CONJUX.

Parum adeo certi habemus de Petri Regis Conjugibus, ut plures intactam reliquerint quæſtionem, an aliquando matrimonio junctus fuerit; alii breviſſimam viam amplectentes omnino negaverint, ipſum matrimonii vinculis fuiſſe obſtrictum, ratione data: effuſam Petri libidinem ſufficienti eſſe indicio, ipſi uxorem defuiſſe. At vero ſi iſtud ad argumentum ſatis eſſet, quam frequentes occurrerent cœlibes, ſtatus ſui, divinarumque legum immemores, quos tamen ſcimus fidem Conjugi ad aram ſpopondiſſe. Scilicet accidit hujus Conjugibus, quod pluribus Hungariæ Reginis, ut earum notitia velut precario aliunde petenda ſit (1) At vero etiam hæc de prima ſaltem Regis hujus Conjuge adeo parva eſt, ut non niſi triſtem ejus e throno caſum ſciamus. Inviſus ſuis Petrus (2) maritus regno poſt triennium ejectus, poſt alterum biennium per Henricum III. Imp. reſtitutus, brevi iterum ſuorum odio crudelitate, aliisque vitiis ſe involvit; quare *ſubſequuto autumno* (Hermanni contracti verbis ad an. MXLVI. refero) *Hungari priſtinæ ſuæ perfidiæ memores, Andream quendam Regem ſibi ſtatuunt, Petrum Regem, multis advenarum, qui pro eo pugnaverant, occiſis, variis cum Conjuge ſua in-*

1) Bonfinius Dec. II. lib. II. p. 148. tradit fuiſſe Alberti ſororem: *Quod Alberti efflagitatione Ducis Auſtriæ, qui Sororem Petro coniugarat, ei ultro receperat, ſe omnino Petrum in Vngariam reſtituturum.*

2) Hepidanus ad an. MXLIX. Henricus *rem, ob quam venerat, credo Dei nutu prædeditus nondum perficiebat. Nam idem Petrus quamdiu regnavit, in multis prævaricator extitit.*

injuriis affectum, poſtremo oculis privant, & in quendam locum cum eadem Conjuge ſua alendum deportant, multis etiam per idem tempus peregrinis inibi expoliatis, exulatis, atque necatis (3). Quæ porro fuerit ſors ejus, & quamdiu vixerit, nihil relatum eſt. Quod enim Petrus pluribus ultra annis, & (ut videtur) non adeo male habitus vixerit, contra atque Hungari Scriptores referunt, eum paulo poſt ab excæcatione obiiſſe, argumento eſt ſequens ejus conjugium, tum etiam ſilentium omnium Chronicorum, quorum pleraque cæcitatis, injuriarumque ſub ipſa e throno dejectione illatarum meminere, de morte autem inde ſecuta altum (4) tacent. Sane Andreæ ſucceſſoris intererat Adalberti vicini Marchionis Levirum, licet regno ob oculorum defectum non jam aptum, non ultra indignis modis tractare, ut ab Imperatore pacem obtineret. Et ipſe Petrus talis non videtur fuiſſe, qui ſopito tumultu, ſublatis inſtigatoribus, redeuntibusque paulatim a veſania animis, non mereretur repeti, niſi cæcitas obfuiſſet. Vivente Divo anteceſſore Quinqueeccleſienſem Baſilicam

3) T. I. Piſtorii p. 287.

4) Chron. MS. Hung. MXLVII. *Interficiuntur Epiſcopi Gerardus, & Modeſtus: & Petrus Rex cum dolo obcacatur: & Andreas Rex elevatus eſt.* Herman. contr. p. 289. ad h. a. *Per idem tempus, cum expeditionem in Pannonios ad Petrum ulciſcendum, diſponeret &c. Præterea Andreas, qui regnum Petri obtinuit, jam crebro legatos ſupplices miſerat, regnum ſe ab Hungaris coactum ſuſcepiſſe confirmans, de Petri ſeſe iniuriis excuſans, quique adverſus eum coniuraverant, partim a ſe trucidatos, partim Imperatori tradendos denuntians, ſuamque Imperatori ſubiectionem, annuum cenſum, & devotam ſervitutem, ſi regnum ſe habere permitteret, mandans. Quibus ex cauſis dilata expeditione &c.* Conf. Lamb. Schaffnab. p. 318. Gotfridus Viterb. p. 336. Chron. Mellic. col. 224. Conradi de Wizenberg. col. 292. Salisburg. col. 341. Clauſtroneoburg. col. 438. Auctor inc. col. 552. Anonymi Leob col. 770. Hildelsh. p. 701. Monachi Hamersleb. p. 709. Ingelhuſii. p. 1081. Auſtral. p. 439. Auguſt. p. 496. Mariani Scoti p. 650.

perfecit. (5) Baſilicam Sancti Petri de Bozoario ita ſplendide exorſus eſt, ut eam nemo poſterorum (6) continuarit. Fidem Kaſimiro Polono contra Bohemos ſervavit. (7) Prolium ex hoc conjugio ſuſceptarum nulla certa eſt memoria; quamquam enim lecta narratione Bruſchii (8) de Himeltrude Hungariæ Regis filia Eccleſiæ Formbacenſis fundatrice olim cœca, ſed miraculo ſanata, in opinionem venerim, fuiſſe Petri filiam pari fato cum patre involutam, id tamen falſum fuiſſe poſtea edoctus ſum; niſi fortaſſis aliqua Petri filia ibi fuerit ſanata, quod deinde falſo ad Himeltrudem translatum ſit, ut fere fabulis plerisque aliquid veri ſubeſſe ſolet. Blondellus (9) refert Emericum filium, & Hagecius (10) narrat quendam Petri filium in exercitu imperatorio auxiliares copias duxiſſe. At hi recentiores ſunt, ut mox eis aſſentiamur.

---

5) Joan. Archidiac. de Guercse, loc. cit.

6) Chron. Principum Poloniæ p. 21. *Rege Stephano de hac luce ſublato Petrus Venetus quidam Vngariæ regnum gubernandum accepit, & Eccleſiam S. Petri de Bozoario inchoavit, quam necdum ad modum inchoacionis Rex aliquis conſumavit.*

7) Ibidem.

8) In ſuplem.

9) Tab. CXLIV.

10) p. 153.

JU-

JUDITHA.

SECUNDA PETRI CONJUX.

Inter plures, quæ de patre Judithæ pervulgatæ ſunt, ſententias potior mihi viſa eſt Annaliſtæ Saxonis, qui natales ejus, educationem, primarumque nuptiarum fata ad an. MXXI. his (1) enarrat: *Bracislaus Boemiæ Ducis Odalrici filius Juditham ſororem Ottonis de Suinvorde filium ſæpedicti Marchionis Heinrici* (2) *de monaſterio, ubi erudiebatur, rapuit, ſociusque id ignorantibus, & ab irruentibus comprehenſis, aliorum erutis oculis, & naribus abſciſſis, aliorum manibus, & pedibus truncatis, ipſe cum paucis, & virgine per noctem vix evaſit. Et ne Teutonis calumpniandi Boemios juſta eſſet occaſio, ſalutato cum nova nupta patre in Moraviam* (ipſi jam a patre traditam) *profectus eſt.* Mortuo Odalrico cum marito Boemiæ Ducatum gubernandum an. MXXXVII. (3) adiit, gubernavitque, dum Bracislaus variis patratis bellis Pannoniam invaſurus an. MLV. *in ipſo itinere pulſatus ægritudine defunctus eſt IV. Idus Januarii . . . . . Ducatum Boemiæ Spitigneus primogenitus obtinuit, qui omnes Teutonicos de Boemia eliminari juſſit, inter quos & matrem Juam Juditham ſororem Ottonis de Suivorde, Abbatiſſam quoque Sancti Georgii expulit.* (4) Juditha ſe in Hungariam recepit, quo etiam Wratislaus alter filius confugerat; atque hic quidem brevi a fratre graviora ſibi timente revocatus eſt, ipſa vero, ut Sbitigneo, & Boemis grave faceret, Petro quamvis Regi dejecto, &

1) Col. 454.

2) Marchionis Franciæ.

3) Col. 466.

4) Col. 486.

oculis orbato nūpſit. Fortaſſis tamen non ita in oculis Judithæ contemptui habendus viſus eſt Petrus, quod Adalbertus Auſtriæ Marchio ſibi conſanguinitatis vinculo junctus (5) ejus ſororem Conjugem jam pridem (6) habebat. Fatis ceſſit Juditha an. MLVIII. IV. Non. Auguſti, ejusque corpus filius Wratislaus in patriam reductum Pragæ juxta virum ſuum Bracislaum in Eccleſia S. Viti ſepelivit. (7) Ex primo marito genuit Duciſſa quinque filios, Sbitigneum, Wratislaum, Conradum, Jaromirum, qui & Gevehardus, & Ottonem. (8) Ex ſecundo ait Hübnerus eam genuiſſe Adelaidem, poſtea Adalberto Marchioni deſponſatam, quod refutatione non indiget, cum certum ſit ſororem Petri Adalberto ſuperfuiſſe (9) & ipſe an. MLVI. mortuus (10) ſit, ut adeo vix nata fuerit illa Adelais eo moriente.

Adal-

---

5) Juncti erant Juditha, & Adalbertus hoc vinculo.

6) Otto Friſing. lib. VI. cap. XXXII. *Petrum Regem eorum ab Ovone regno fraudulenter pulſum interceſſione Alberti Marchionis, cujus Levir erat, exulem ſuſcepit.* Herm. contr. ad an. MXLI. *Vix fuga elapſus* (Petrus) *primo ad Marchionem noſtrum Adalbertum ſororis ſuæ maritum profugus venit.*

7) Coſmas Prag. lib. II. col. 2034. *An. Dom. Incarn. MLVIII. IV. Non. Auguſti obiit Judith a Coniux Bracislai Ductrix Boemorum. Quam quia filius Sbignem ejecerat de regno ſuo, cum non poſſet aliter ulciſci iniuriam ſuam in filio, ad contumeliam eius, & omnium Boemorum nupſerat* Petro *Regi Vngarorum. Hæc poſtea a filio ſuo Wratislao Duce inde translata, & ſepulta eſt Pragæ iuxta virum ſuum Brecislaum, Sanctorum Viti, Wenceslai, atque Adalberti in Eccleſia.* Eadem verba habet Annaliſta Saxo col. 490.

8) Annaliſta Saxo col. 486.

9) Calles in præf. ad Annal. Auſtriæ. Fiſcher Vindobona P. II. tab. V.

10) Chron. Auſtral. ad h. a. *Adalbertus . . . . . Marchio obiit. Erneſtus filius eius*

Adalbertus Comes de Mertala.

Leopoldus I. Auſtr. Marchio.	Bertholdus Marchio Franconiæ.
Adalbertus.	Henricus Marchio Schwinfurt.
	Juditha.

eius ſucceſſit. Conf. Chron. Clauſtroneoburg. Mellic. Salisburg. Bernardus Noricus &c.

SA-

SAROLA
ABBÆ CONJUX.

Geyſæ Ducis, & Sarolthæ (1) e Gyula Tranſylvano Duce genitæ (2) filia, Divi Stephani Regis ſoror, cujus gratia maritus Samuel (3) Comes Palatii Regii (4) haud dubie creatus eſt. Vir felix, & beatus, ſi nomini ſuo Abba, quo eum velut communem Parentem popularis vox appellabat, etiam a morte pientiſſimi Leviri ſui par perſtitiſſet. Verum dum ſibi, ſuisque Regios honores, ejecto Petro legitimo Rege, arripit, nec tamen melius, mitiusve regnum adminiſtrat, ſe ſuosque perdidit. Henricus quidem III. Romanorum Rex tandem Petrum Hungariæ reſtituiſſe, & Samuelem in fugam egiſſe contentus fuit: (5) at Petrus

---

1) Cromerus lib. III. cap. II. Aſcoltam vocat.

2) Timon ad an. MXLI. p. 4. ed. Claudiopolit. MDCCLXIV. Ladisl. Thurocz. P. II. p. 332. n. III.

3) Idem nomen proprium ei nummi vendicant.

4) Vid. P. Nic. Schmith Palatinos Hungariæ p. 4.

5) Chronica Regia S. Pantal. (T. I. Eccardi col. 903.) *Anno Domini MXLV. Heinricus Rex tertio Pannoniam ſibi rebellantem ſubjugans Ovonem cum uxore, & filiis, & cognatis expulit; Petrum in regnum reſtituit; & cum magno honore revertitur.* Chron. Hildesheim. (Tom. I. Leibnitii, p. 731.) ad an. MXLV. Jnd. XIII. *Heinricus Rex tertio Pannonias iratus ingredieus, DEI favente clementia, & Beato Udalrico impetrante, victor factus, Ovonem cum uxore, & filiis, cognatisque, quibus evadendi locus erat, effugabat: Petrum in regno reſtituit, ſubditoque ſibi Ungariorum*

trus ulteriores æmuli machinationes pertimeſcens, eundem cum Conjuge ſua, & ſiliis haud diu poſt comprehenſum, enſis ictui ſubjecit. (6) Ita Sarolthæ nihil profuit Petri materteram, & Stephani Regis ſororem fuiſſe. An vero omnes eorum filii ſimul fuerint ſublati, merito dubites; quod etiam ſeculis poſterioribus reperti fuerint, qui ſe de hoc genere ſcribebant; niſi hi fortaſſis nomen a loco per Abbam olim condito acceperint, & ad gloriam captandam ab ipſo Abba voluerint deſcendiſſe; vix enim credam, nemi-

---

rum Regno ſummo cum honore revertitur. Neque plus Abbæ præſente in Hungaria Heinrico factum referunt Marianus Scotus (T. I. Piſtorii p. 650. & 833.) Annaliſta Saxo (T. I. Eccardi col. 480. in acceſſionibus hiſt. Leibn. p. 250.) Chron. Mellicenſe, Salisburg. (T. I. Pezii col. 224. & 341.) Anonymus Leobienſis, aliique.

(6) Hermannus Contractus ad an. MXLIV. (Tom. I. Piſtorii p. 284.) *Henricus Rex parvo exercitu contra graviſſimam Ungariorum gentem fortiter pugnavit, & vicit. Ovonem Tiraunum fugavit, & Petrum expulſum priſtinæ dignitati reſtituit. Poſtea vero Petrus in regno confortatus eundem Ovonem cum uxore, & filiis comprehenſum decollavit.*

Chron. Auguſt. T. I. Freh. p. 496. ad an. MXLIV. *Hainricus Rex in Pannonia commiſſa pugna victor, Obonem fugavit, & Petrum Regno reſtituit. Obo a Petro captus decollatur.*

Marianus Scotus in Chron. lib. III. ætate VI. (Tom. I. Piſtorii p. 650.) ad an. MXLV. *Henricus Rex III. Pannoniam iratus ingreſſus DEI favente clementia, & Beato Udalrico Epiſcopo imperante* (an impetrante?) *Victor fratris* (factus) *Ovonem cum uxore, & filiis, quibus locus evadendi erat, effugabat: Petrum in regnum conſtituit, ſubditoque ſibi Ungarorum regno honorifice revertitur.*

Lamb.

nem, (ſi ita fuiſſet) in tantis Hungariæ revolutionibus ad majora fuiſſe aſpiraturum, aut ſaltem in ſuſpicionem talis attentati fuiſſe trahendum, quod tamen factum non legitur.

Lamb. Schaffn. ad an. MXLIV. p. 318. *Rex tertia expeditione in Ungariam facta, prædictum Uban vicit, & expulit; Petroque regnum reſtituit.* Ad an. MXLV. *Petrus Ungariorum Rex Uban æmulum, atque inſidiatorem regni ſui captum decollavit.*

Hepidanus T. I. Goldaſti. *Nec mora, ſit victor Chriſti favente clementia, nihilque cunctatus urbem aſcendit, ubi uxorem Regis & filios cum ingenti pecunia comprehendit; Petrum vero ſolio regni reſtituit, & re bene geſta in Saxoniam rediit.*

Ano-

Anonyma.

ANDREÆ I. CONJUX.

Andreas adhuc exul Ruthenam (1) ſumpſit conjugem, illamque ſecum ejecto Petro in thronum Hungaricum evexit. Ea, quamvis edita in lucem *Adlecta* filia, quæ poſtmodum Vratislao Bohœmiæ Duci nupſit, (2) fœcunditatem ſuam probaſſet, maſcula tamen prole diu caruit, donec an. MLIII. Salomonem (3) peperierit, unicum turbata alioquin Germanici belli periculis, occultarum molitionum ſuſpicionibus, (4) & frequenti

1) Thurocz P. II. cap. XLII. *Duxit autem ſibi uxorem filiam Ducis Ruthenorum, de qua genuit Salomonem & David.*

2) Annaliſta Saxo ad an. MLV. col. 486. *Wratislaus . . . Adlectam filiam Andreæ Regis adamavit, quod ille non recuſans poſt dies matrimonio ſibi eam copulavit.* Et ad an. MLXI. col. 492. *Dux Wratislaus genuit ex filia Andreæ Regis Ungariæ Juditham & Ludmillam filias, & Brazislaum juniorem, & Wratislaum, qui in primo flore iuventutis occidit.*

3) MS. Chron.

4) Narrat author vitæ Domni Lietberti Cameracenſis Epiſcopi cap. XXXII. (T. II. Spicilegii Dacheriani p. 145.) ut hic ab Andrea in tranſitu fuerit exceptus: *Nuntiatur Regi ab exteris partibus habitu peregrino quosdam veniſſe homines, ſui regni fines tranſire volentes, qui mox accitos ſibi præſentari iuſſit. Videns itaque Rex Pontificem, Dei nutu mutata mente priſtina citius ſurgit a ſolio, nec non officioſiſſime ſalutatum invitat in Conſiſtorio, quærit cauſas itineris, miratur auditis, miratur talem ac tantum virum tam difficilis pondus ſubiiſſe laboris: ſed quoniam illis diebus vix quilibet aut pene nullus hoc iter arripiebat, cogitabat, ne ſimularent id alterius negotii*

gra-

barbarorum incurſu (5) republica ſolatium. Hunc geniturae ordine excepit *David*, & fortaſſis alii liberi calamitatis ſocii, (6) quibus tamen longae vitae uſura non videtur fuiſſe indulta. Salomonem vero mater ſingulari adeo dilectione proſecuta eſt, ut illius cauſa nihil non ſuſceperit. Anno quidem MLXI. cum eodem octenni aliisque ab Andrea Conjuge in Auſtriam (7) miſſa eſt, perſtititque, marito mi-

---

gratia; unde vocatis ſuis iubet eos e veſtigio diligenter obſervari, ne moliantur quidquam ſiniſtri. Explorata per aliquot dies religioſa Pontificis ſanctitate, ſimul audita in ſtipendiis pauperum liberaliſſima largitate, in vigiliis, orationibus, ieiuniis aſſiduitate, devotus Rex impendit obſequium, quodque petebat filii ſuisque Pontifex, praeſtat libens auxilium. Jam quippe ſub eius contubernio tanta, tamque multiplex copia populi coierat, ut exercitus Domini diceretur, ſic uſque in extremos fines regni ſui, dato Duce, Dei procurante miſericordia ſecurum conceſſit abire.

5) Author vitae B. Theodorici Abb. Andaginenſis cap. II. (apud Mabillonium ſeculo VI. Benedictino P. II. p. 564.) *cum in Hungariam venit; qui illum alii labori deſtinaverat Deus, propoſitum eius praepedivit. Nam turbata illic incurſione barbarorum republica, tam ipſe quam comites eius tranſire prohibiti Pannoniam, converſi multa difficultate, venerunt ad Urbem Romam.* Imaginem horum barbarorum exhibet Author cit. vitae Lietberti Camerac. Ep. cap. XXXIII. *Ingreditur ſolitudines ſaltuoſas, quas deſerta Bulgariae nominant, quasque latrunculi Scythicae gentis inhabitant. Hi degentes more ferarum nullis coercentur legibus, nullis continentur urbibus, ſub dio manent, quos nox coegerit, ſedes habent; praetereuntes obſident, obvios interficiunt; ceteros deprædantur, gregatim vadunt, omnia ſua ſecum portantes, cum tota ſuppelleƈtile, parvulis & uxoribus: nullius haereſis nominata ſecta, nullius religionis divino cultu tenentur; tamen ſicut ex eorum interfeƈtis vidimus, more Saracenorum circumciduntur, barbari, crudeles, homicidae, ſine affeƈtu, ſine pietate.*

6) Ad eam tamen nihil attinet *Georgius* Andreae filius, quem is teſte Thuroczio ex concubina de villa Maroth orta genuit.

7) Vide infra in Juditha Salomonis not. 4.

miſera morte interea ſublato, apud Germanos, donec interceſſione Ottonis Bojoariorum Ducis, quem ſibi tradito famoſo (8) Attilæ gladio devinxerat, filius Salomon cum ipſa (9) ab Henrico Rom. Rege in patrium regnum fuit reductus Adſtitit inde eidem conſiliis maternis, omnique modo adlaboravit, ut pacem inter ipſum ac

8) Lambertus Schaffnaburg. ad an. MLXXI. p. 348. *Hunc ſiquidem* (gladium) *Regina Ungariorum Mater Salomonis Regis Duci Boioariorum dono dederat, cum eo ſuggerente, atque annitente Rex filium eius in regnum paternum reſtituiſſet.* Mentio huius gladii fit in vita B. Altmanni Ep. Patav. col. 127. *Hic gladius poſt multa millia annorum inventus Attilæ Regi Hunorum traditur, cuius terrore tota pene Europa eius ſubditur ditioni.* Jornandes de eodem cap. XXXV. de rebus Geticis narrat. *Addebat ei* (Attilæ) *confidentium gladius Martis inventus, ſacer apud Scytharum gentes ſemper habitus. Quem Priſcus hiſtoricus tali refert occaſione detectum. Cum paſtor, inquiens, quidam gregis unam buculam conſpiceret claudicantem, nec cauſam tanti vulneris inveniret, ſollicitus veſtigia cruoris inſequitur, tandemque venit ad gladium, quem depaſcens herbas bucula incaute calcaverat, effoſſumque protinus ad Attilam defert. Quo ille munere gratulatus, ut erat magnanimus, arbitratur ſe totius mundi Principem conſtitutum, & per Martis gladium poteſtatem ſibi conceſſam eſſe bellorum.*

9) Chron. Auguſt. p. 498. ad an. MLXIII. *Mortuo Beel Rege Ungarorum Hainricus Rex puer Pannoniam cum exercitu ingrediens Reginam cum filio pridem expulſam regno reſtituit, paucisque repugnantibus devictis provinciam eandem ſibi ſubiugavit.* Auctor in Chron. col. 554. MLXIII. *Hainricus Rex exercitum in Pannoniam & Salomonem Regem conſtituit filium Andreæ Regis, quem Belo frater iam a regno cum uxore & filiis nimis pernitioſe expulit.* Itum in Hungariam Adalberto Bremenſi Archiepiſcopo res militares & Annone Colonienſi curiæ cauſas præcipue dirigentibus: *Tunc Adalbertus Archiepiſcopus Bremenſis invitatus a Cæſare proficiſcitur cum magno exercitu in Ungariam ſicut Princeps militiæ & militum; & Cæſar commiſit Annoni Archiepiſcopo Colonienſi cauſas omnes & ſingulas curiæ ſuæ Regalis; & tunc Rex repoſuit Salomonem in regnum Ungariæ, quem Ungari repulerant.* Henr. Walterus in Chron. Bremenſi p. 42.

Duces Geyſam & Ladislaum conſervaret: ſed ille malis conſiliis *Vidi* abductos iſtos ad arma capienda compulit, quibus fractus ad ſuos in Moſon ſe recipere, & tandem Hungaria excedere coactus eſt. *Videns* profugum *mater flevit ſuper eum* (ut narrat Thuroczius) (10) *ſicut debet ſuper unicum filium ſuum, qui tantis bonis a DEO privatus fuerat, & increpabat eum: Fili chariſſime, nunquam conſilium meum audiſti, nec conſilium Erney, nec conſilium aliorum fidelium tuorum, ſed ſemper acquieſcebas conſiliis Vid; & ecce deſtruxiſti te & tuos: nonne ſemper laudavi, & dixi, quod ſufficit tibi corona Hungariæ, & ut dares Ducatum in pace fratribus tuis? Nunc autem Vid Dux eſſe non poterit* (ſcilicet in pugna occiſus) *nec tu amplius coronaberis.* Salomon verborum acrium importuno tempore datorum impatiens, nonniſi uxore manum erectam retrahente contineri potuit, ne matrem objurgantem in faciem percuteret. Hoc ultimum eſt, quod fidem aliquam de fortuna geſtisque Reginæ iſtius habere poteſt; cætera enim paſſim a recentioribus adoptata, ut quod dein in Admontenſi cœnobio relicta, ibidem aſceticam vitam amplexa & ſepulta fuerit, hiſtoriæ temporum illorum non ſatis congruunt. Etenim monaſterium illud eo primum anno ſcilicet MLXXI. conditum fuit; cœnobium Monialium olim adjacens ſeculo integro tardius ſurrexit; nurus vero eidem ſocia falſo adſcripta totius relationis fidem tollit. Crediderim fractam ætate & ærumnis haud longe ab ultima filii ingratitudine hæc mortalia reliquiſſe. Hiſtorici Germani, qui nurus receptionem ad fratrem in Germania referunt, viduæ Reginæ non meminerunt, neque Gregorius PP. VII. in epiſtolis hac occaſione datis mentionem ejus aliquam facit, manifeſto indicio, quod nec a Salomone, nec a Conjuge memorata fuerit, cujus tamen afflictæ, ſi vixiſſet, memoria prætermittenda non fuiſſet, ad auxilium certius

a

10) P. II. cap. LII.

a miſericordia Sanctiſſimi Pontificis impetrandum. Relatis ſupra prolibus addunt aliqui filiam Henrici Cæſaris filio deſponſatam. Verum cui? Niſi is Conradus Henrici III. filius an. MLII. natus (11) an. MLVI. mortuus (12) fuerit, alium aptum non invenimus; Henrico enim, qui dein hujus nominis quartus fuit, Bertha an. MLV. (13) fuit deſponſata.

---

11) Hermannus Contr. ad h. a. *Imperatrix iterum filium, quem Conradum poſtea vocaverunt, Imperatori peperit.*

12) Lamb. Schaffnaburg. ad h. a. *Conradus filius Imperatoris Dux Boioariæ obiit.*

13) Continuat. Herm. Contr. ad h. a. *Imperator de Italia per Boioariam rediens Natalem Domini apud Caſtrum Turegum celebravit, ibique Ottonis Marchionis filiam æquivoco ſuo filio deſponſavit.*

RICHSA

BELÆ I. CONJUX.

Ex duplici nomine Richſæ, (1) & Geyſæ (2) quod tacentibus veteribus recentiores huic Reginæ tribuerunt, primum ob ſimilitudinem veri elegi, cum tale nomen matri ejus fuiſſe ſciamus; ſecundum vero nunquam fœminæ attributum occurrerit. Fuerit ergo hic Mich. Ritii error, ut filii, quem prætermiſit, nomen ad matrem transtulerit. Certiores ſunt Parentes ejus; fuerat enim Mieceslai & Richſæ Poloniæ Ducum filia, Boleslai item Poloniæ Ducis amita, quam ſibi Bela non, ut alias fieri ſolet, procando & blandiendo, ſed generoſitate animi & heroicis actionibus acquiſivit, dum iis in terris ſpontaneus cum fratribus verſaretur *Tunc* narrat Thurocz (3) *Pomerani annuas penſiones Duci Polonorum, cui tenebantur, reddere recuſarunt. Dux vero cenſum ſibi debitum a Pomeranis armata manu cœpit exigere. Pomeranis itaque paganis & Polonis Chriſtianis communiter placuit, ut Duces eorum duello confligerent, & ſi caderet devictus Pomeranus, conſuetam perſolveret penſionem; ſi vero Polonus, tantummodo damna ferret. Cum igitur Miſca Dux, & filii ejus horrerent duellum aſſumere impoſitum, Bela ſeipſum per verbum interpretis in medium introducens, ſic dicebat: ſi vobis Polonis*

&

---

1) Anonymus in notis ad Henningum. Megis. Tab. 49.

2) Michael Ritius lib. II. de Regibus Ungariæ fol. 71. *Bela genuit ex Geyſa Poloniæ Ducis filia Ladislaum exul apud Polloniam, poſtque eius in Ungariam reditum, nomine Lambertum.*

3) Thurocz P. II. cap. XXXVIII.

& Domino Duci placet, quamvis ſim nobilior quam paganus ille, tamen pugnabo pro regni veſtri commodo & honore Ducis. Placuit itaque tam Pomerano quam Polonis. Cumque armati cum lancea ſe junxiſſent, tam viriliter Pomeranum fertur Bela de ſuo dextrario detruſiſſe, ut ſe loco movere non potuerit, & gladio perfoſſum proſtravit. Confeſſusque eſt ipſe Dux Pomeranus ſe culpabilem. Quo viſo, Pomerani Duci Poloniæ humiliter ſubditi ſolitum tributum ſine contradictione perſoluerunt. Dux vero inde revertens cum victoria, per Belam acquiſita, audaciam & potentiam valoris in Bela Duce collaudans, cum toto cenſu Pomeranico ei tradidit filiam ſuam in uxorem, & univerſa, quæ ei neceſſaria fuerunt, ſufficienter & copioſe miniſtrari præcepit, & cum in omnibus honoratum in Ducatu ſuo tenuit, ac bona quantitate, de terra eundem hæreditare non omiſit. Polonam fuiſſe etiam alibi tradidit idem Thuroczius. (4) Decurrebant res Conjugum in Polonia adeo feliciter, ut Bela nec patriam deſideraret, nec partem ſibi ſumeret; dum Andreas & Leventhe germani ſui avitum regnum vel everſis Chriſtianis ſacris occuparent. Attamen Andream poſtea vocantem cum uxore & prolibus ſecutus eſt, Ducatumque oblatum gratus accepit; (5) nec tamen Polonorum gratiam diſceſſu ſuo amiſit, quin ſeminante diſcordias inter fratres inimico, uxoris gratia apud eos refugium invenit, eorumque exercitu comitatus regnum obtinuit, (6) breve illud quidem, duorum quippe duntaxat annorum fuit, ſed ſancta prolium hæreditate felix. De morte Richſæ nihil retulere poſteri. Conjux Bela fatis ceſſit an. MCLXIII. (7) in oppido Demeſienſi

4) P. II cap. XV. *Hic enim Bela primo uxorem de Polonia habuit.*

5) Idem cap. XLII.

6) Idem cap. XLIV.

7) Lamb. Schaffnaburg. ad h. a. T. I. Piſt. p. 330. *Bel, qui regnum invaſerat Ungariorum, obiit,*

morte violenta, ſive prolapſus e ſolio, ſive domo collapſa obrutus. (8) Filii eorum fuere Geyſa, & Ladislaus in Polonia geniti, & Lampertus in Hungaria natus, (9) quibus filiæ quoque accedebant: Sophia Lamperto Comiti nupta, quæ cum eodem Monaſterium Bozokini erexit. (10) Jojades deſponſata primum Wilhelmo Thuringiæ Marchioni intercedente Geyſa fratre, deinde Odalrico Marchioni Carentinorum. (11) Itaque dicamus neceſſe eſt, Odalrico duas fuiſſe Conjuges, primam Jojadem hanc Belæ filiam Geyſæ & Ladislai ſororem, alteram Sophiam ejusdem Ladislai filiam, quas Annaliſta Saxo confudit. Præter has duas adhuc memorantur Helena nupta Zolomero ſeu Zvoniniro Dalmatiæ & Croatiæ Regi. (12) Ludmilla uxor Othonis Moraviæ Marchionis. (13)

---

8) Thurocz cap. XLVI.

9) Idem cap. XLII.

10) Timon in epitome ad an. MCXXXIV. p. 17. Ladisl. Thurocz. P. II. n. V. p. 335.

11) Lamb. Schaffnab. p. 326. Paul. Langius in Chron. Citiz. T. I. Piſt. p. 1142.

12) Thurocz P. II. cap. LVI. Lucius lib. II. cap. XV. p. 159.

Idem Lucius loc. cit. p. 158. adfert diploma, cujus initium: *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, anno ſcilicet ab Incarnatione D. N. J. Chriſti MLXXVIII. Indictione prima. Ego Suinimer, qui & Demetrius gratia divina collata ſubminiſtrante, & ſagacis vigore ſcientiæ vere cœlitus attributæ cooperante Rex totius Croatiæ, ſimulque Dalmatiæ:* finis vero: *Acta ſunt hæc ante notitiam horum teſtium inprimis quidem Helenæ glorioſiſſimæ Reginæ, Gregorii &c.* Attamen *Helena* Regina Dalmatiæ, cujus meminit Thomas Archidiac. in hiſtoria Salonitana cap. XVI. p. 555. ab hac diverſa eſt; vixit enim diu ante Creſimirum Regem, qui in templo ab ea ædificato cum pluribus aliis Regibus & Reginis ſepultus eſt.

Bonfinius Dec. II. cap. IV. Thurocz. P. II. C. LVI. *Cum Rex Zolomerus ſine liberis deceſſiſſet, uxor ejus ſoror Regis Ladizlai, ab inimicis viri ſui multis injuriis prægrauata auxilium fratris ſui Regis Ladizlai in nomine Jeſu Chriſti imploravit.*

13) Thurocz c. LII. Idem P. II. c. XV. memorat etiam quamdam Margaritham: *Kygvini quidem Renaldi origo eſt de Hiſpania cum Regina Margaritha Coniuge Belæ Regis filii Zaar Ladislai Pannoniam adeuntium.* Sed vereor admodum, ne Margaritham Belæ III. Conjugem intellexerit, quem vide infra.

. . . . . { Mieceslaus Dux Pol. } Richſa.

. . . . . { Richſa, Com. Pal. Rhen. }

JUDITHA
SALOMONIS CONJUX UNICA.

Salomoni adhuc infanti promiſſa fuit ſponſa filia ab Henrico III. Imp. (1) qui an. MLVI. III. Non. Oct. (2) vitam poſuit. Huic Judithæ nomen fuiſſe ſupra oſtendi. Eadem promiſſio repetita fuit ab Henrico IV. ejus fratre, qui ea cauſa ad fines Hungariæ an. MLIX. ineunte autumno (3) deſcendit. Adfuit mater Agnes Imperatrix. Conſenſerunt tam in pacem, quam in connubium utriusque regni Proceres. Tum primum ſponſi ſeſe viderunt. (4) Verum licet ſimul traditio ſponſæ dicatur facta, non tamen ea videtur traducta tum fuiſſe in Hungariam, quin potius anno ſequenti Andreas Conjugem ſuam, filium & theſauros ob pericu-

---

1) Lambertus Schaffnaburg. loco infra citando.

2) Marianus Scotus ad h. a. p. 650.

3) Henricum hoc autumno in Auſtria verſatum fuiſſe teſtatur eius diploma VI. Non. Oct. *Ibeſe* (nunc Ipſium) *datum* apud Duellium in excerptis Genealog. p. 29. Lamb. Schaffnab. ad h. a. *Rex Natalem Domini in civitate Marouwa celebravit in confinio ſita Hungariorum & Bulgariorum.*

4) Contin. Hermanni Contr. ad h. a. *Andreas Pannoniæ Rex, cum prius pacem, pactumque per legatos cum Henrico Rege confirmaſſet, ſororem eius minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit.* Joan. Staindelius in Chron. p. 477. ad an. MLVIII. *Hungarorum Legati ad Regem venerunt pacem poſtulantes, & ut firmior haberetur inpoſterum, Regis ſororem Salomoni filio Regis Andreæ poſtulabatur* (poſtulabant) *in coniugium. Hoc ubi regni Primatibus placuit, Rex cum matre in fines Ungariæ venit, utriusque regni Primores iureiurando pacem firmare fecit, ſororem tradidit, & mox ſe in Franciam recepit.*

culum a Bela fratre inſtans Mellicium in Auſtriam, inde ad Henricum ipſum transmiſit, ſimul auxilia petens ad vim pari robore repellendam. (5) Verum expeditione infeliciter cadente, ipſoque Andrea miſera morte oppreſſo, Salomon in curia Henrici perſtitit: quæ commoratio ita memorabilis viſa eſt ipſi Salomoni, ut etiam poſt plures annos eo nomine Henricum flectendum exiſtimaverit. Biennio ſic elapſo *Bel* (verbis Schaffnaburgenſis (6) exprimo,) *qui regnum invaſerat Ungariorum, obiit. Joas* (Geyſa) *filius ejus ſatius putans moderatis opibus in pace perfrui, quam immoderatas ambiendo, calamitatem & excidium parere genti ſuæ, mandavit Regi Heinrico, ſi ſibi apud Salomonem filium Andreæ Regis, natalibus & meritis ſuis condignus honor haberetur, ſubditum ſe ei fidelemque futurum, & malle beneficiis cum eo, quam armis, fide, quam acie dimicare. Eadem Ungarii omnes aſſidua legatione pollicebantur. Ita Rex Heinricus Ungariam cum exercitu ingreſſus Salomonem in ſolium Patris reſtituit, juncta ei in conjugem ſorore ſua, ablatisque omnibus, quæ Regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.* Procedebat ta ſtabilitum felix ſatis imperium, dum decem transactis annis ſimul-

5) Contin. Herm. ad Contr. ad an. MLX. p. 299. *Andreas Rex Pannoniorum, cum a fratre ſuo, regnum ſibi circumquaque vaſtante, multas iniurias perpeſſus fuiſſet, tandem febre pulſatus omnes theſauros ſuos in caſtrum Medilbecka, nec non filium ſuum Henrico Regi per Thiedbaldum Comitem transmiſit.* Eadem verba habet Bertholdus Conſtantienſis apud Urſtiſium. Lambertus Schaffnaburg. p. 325. ad an. MLXI. *Andreas Rex Ungariorum videns Belem quemdam propinquum ſuum regnum affectare, & Ungarios a ſe paulatim ad eum deficere, uxorem ſuam & filium Salomonem, cui Imperator filiam ſuam parvulo parvulam deſponderat, cum multis opibus ad Regem Henricum transmiſit, petens, ut & ſibi miſſo exercitu ſubveniret, & ſuos, donec rebus tranquillitas redderetur, ſervaret.*

6) Idem p. 330, Sigisbertus Gemblac. p. 838. *Salomon Ungarorum Rex Andreæ Regis filius Henrici Imp. ſororem accipit uxorem.*

multates jam aliquamdiu fotæ inter Salomonem, & patrueles Geyſam ac Ladislaum in apertum bellum eruperunt. Ille, qui Conjugem ſuam ſalvam vellet, eam in tutiora loca transtulit, & tandem tribus præliis attritus a Leviro ſuo auxilia poſtulavit. Henricus, quod in celeritate felicitatem poſitam crederet, non ſolemni more indictum, ſed repentino ac tumultuario milite collectum exercitum in hoſtem ducere (7) parabat, cum expeditionem præcipitatam ſparſo apud Coloniam Agrippinam imperii periculo ſuſpendere oportuit. Igitur *mediante Julio regreſſum Regem* (Henricum) *de Lotharingia Wormatia iterum adierunt Legati Regis Ungariorum, orantes obnixe, ut memor affinitatis, memor actæ ſimul a puero ætatis maturius ſubveniret expulſo. Et quia preces tardius movebant privatis occupationibus intentum, datis XII. obſidibus fidem ei firmabant, quod ſi ejus beneficio in regnum reſtitueretur, deinceps ei tributarius, dictoque obtemperans foret, & ſex ei munitiſſimas Ungariæ civitates in argumentum nunquam irrumpendæ fidei traderet.* (8) Hac mercede emptus Henricus bellum Geyſæ intulit, ſed absque neceſſario apparatu ſuſceptum, fame & peſtilentia coactus mox deſeruit, ſolo hoc patrato, ut ſororem ſecum abduxerit: quod poſtremum narranti Cuſpiniano (9) ſequentia

---

7) Schaffnaburg. ad an. MLXXIV. p. 348. *Rex . . . . non ſolemni more indictam expeditionem, ſed repentino ac tumultuario milite collectum exercitum ducere parabat in Hungariam, comperto, quod Salomon Rex Ungariorum a Joiade, Beli filio, bello impetitus, & tribus iam præliis victus, amiſſo exercitu vix de regno effugiſſet. Ut eius miſeriæ ſubveniret, & affinitati præſtabat, quam tradita illi in Coniugem ſorore ſua contraxerat, & utilitatibus propriis, quia magnam ei partem regni ſui pollicitus fuerat, ſi eius beneficio expugnatis hoſtibus in regnum reſtitueretur.*

8) Idem p. 378. Traditionis partis terrarum fidem facit diploma ejusd. Imp. apud Meichelbeckium T. I. p. 268. h. a. VI. Kal. Dec. datum. *Ex prædio, quod Salomon Rex Ungarorum noſtræ poteſtati ſubjugavit &c.*

9) In Cæſaribus.

tia confirmant. Spe hac deluſi Salomon & Juditha ad communem Patrem Gregorium VII. Romanum Pontificem recurrerunt, ejusque interceſſionem implorarunt; quin Juditha nec matrem Agnetem Imperatricem Romæ degentem virtutis ſuæ merito magna apud hunc gratia pollentem interpellare prætermiſit. Quid is Salomoni reſponderit, quid ea cauſa Geyſæ ſcripſerit, exhibet Cl. Prayus. (10) Litteras vero Pontificias ad Juditham ſequenti anno ineunte datas, (11) quoniam nobis ejus imaginem exhibent, hic adjicio:

Gregorius Epiſcopus Servus Servorum DEI Judith Hungarorum Reginæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Multæ ac diverſæ cauſæ ſunt, propter quas intimo, & ſincero cordis affectu te diligimus. Primo quoniam ex univerſalitate ſuſcepti regiminis, omnibus qui in Chriſto ſunt, debitores ſumus. Deinde quoniam Clariſſimus Imperator Henricus pater tuus, & Agnes mater tua (jam nunc non humanitus, ſed DEI miſericordia cœlitus Imperatrix Auguſta) ex quo me cognoverunt, pro ſua magnitudine honorifice, & præ cæteris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ filiis charitative habuerunt, & maxime, quia nunc eadem mater & Domina tua poſtpoſitis ſecularibus cauſis, & honoribus, Apoſtolorum limina tota devotione & veneratione complectitur; ex cujus quidem præſentia inter hujus ſeculi nequam perturbationes ſæpe nobis accepta ſolatia conferuntur. Præterea multum te commendat nobis tua præclara & inclyta fama, quod in tam tenera ætate, inter aſperam & incognitam gentem generis tui gloriam decoraſti; quippe quæ in excelſo nata imperio, nihil in actibus, & habitudine tua, niſi decus imperiale hactenus demonſtraſti. His, inquam, de cauſis nos, quibus fallere quemquam nefas eſt, in loco germanæ ſororis te diligimus, & ſi quid oratio-

10) Tom. I. Annal. Reg. Hung. p. 73. 75. 76.

11) Lib. II. Epiſt. XLIV.

tiones noſtræ apud DEUM valent, non infructuoſam erga te noſtram fore amicitiam, in DEI pietate confidimus. Scias etiam, quod de tribulationibus & anguſtiis, quas te ſuſtinere cognovimus, valde dolemus, & aivinam clementiam pro quiete & lætitia tua frequenter & ſupplicter imploramus. Et ſi quando locus, aut tempus opportunitatem dederit, temporalibus quoque ſubſidiis te honorare quam maxime cupimus. Cæterum ea, quæ nunc tibi inſtat adverſitas, non te terreat, nec mentem tuæ generoſitatis deprimat, ſed ſi quid mœſtum aut grave ingruerit, vultu Regalis conſtantiæ, geſtuque diſſimula, & moleſtas (quas DEUS avertat) cauſas naturali morum tuorum virtute patienter tolera, fiduciam & ſpem firmam habens in DEO Salvatore noſtro, quoniam ipſi cura eſt de te, qui nunquam derelinquit ſperantes in ſe; & quanto nunc animum tuum ſollicitudinibus verberari ſinit acerbius, tanto eum ex vicina & potenti virtute conſolationis ſuæ lætificabit ulterius. Ipſe enim nihil ſine cauſa præcipit, nihil ſine ratione permittit, qui Regum & Imperatorum, omniumque cauſarum æquus arbiter & moderator exiſtit. Verum inter omnia te id agere & ſtudere monemus, ut præclarum nomen vitæ & nobilitatis tuæ ab ineunte ætate nactum indies amplificetur, & creſcat. Quoniam integritas famæ, licet præ cunctis terrarum opibus corona ſit nobilium & ignobilium: tanto tamen unicuique plus ornamenti & gloriæ tribuit, quanto eum eminentia generis altius extollit. Age ergo, ut omnibus, quæ regnum fert & imperium, tanto te excellentiorem oſtendas, quanto ea omnia mutari cognoſcis. Tuam vero naturam, & imperiale germen, quod in te eſt, nullis ſucceſſibus, nullisve adverſitatibus mutari poſſe proponas. De cætero, quod nos matrem tuam de cauſa tua compellare rogaſti: pro certo ſcias, nos omnia, quæ ad honorem & ſalutem tuam pertinent, & conſulendo libenter ei intimare, & perſuadendo ut fiant, Apoſtolica benigne adjutoria exhibere. DEUS autem omnipotens, qui eſt mœſtorum conſolatio, infirmantium fortitudo, præſentem vobis lætitiam cito conferat, & veram, æternamque gloriam ſupernæ felicitatis tribuat. Datum Romæ quarto Idus Januarii Indictione decima tertia. Hæc Gregorius.

Sa-

Sane brevi patuit plus ſpei Salomoni & Judithæ ponendum eſſe in litteris Pontificiis, & eximia Geyſæ ac Ladislai pietate, quam in fratris Cæſaris ope, qui ſimulatione auxilii ipſis ferendi aut pacis componendæ ad fines ſuos abutebatur, ſcilicet reipſa ad Saxones confringendos properabat, dum ſe ad Hungaros iturum fingit. (m) Interim meliore rebus ſuis affulgente ſydere Juditha an. MLXXVI. ſub feſtum Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ ad virum ſuum redire paravit, ſimul præſtitura fratri ſuo perquam iniquum ſervitium, ut Burchardum Halberſtadienſis Eccleſiæ Præſulem nuper captivum aliquo exulem deportaret, unde ei ad ſuos non eſſet reditus; quod quidem jam ipſe Salomon dum apud Henricum aliquamdiu profugus moraretur, ſe facturum erat pollicitus. (13) Tentavit id infelix, & navi impoſitum Præſulem cum hominibus ſuis præmiſit, ipſa paucis poſt diebus, cum profectioni ſuæ neceſſaria ordinaſſet, ſecutura. (14) Verum Burchardus in fatali hoc itinere,

12) Lamb. Schaffnaburg. ad an. MLXXV. p. 393. *Ad hoc efficiendum*, id eſt, ad Saxones præter opinionem opprimendos, *novo & exquiſito utitur artificio: ſimulat ſe a Salomone, Viro ſororis ſuæ, Rege Ungariorum in Ungariam evocatum, ut lites, quæ inter ipſum erant & Jojadem, qui eum regno expulerat, habito cum utrisque familiari colloquio componeret. Huius itineris prætextu eluſis omnibus regni Principibus in Boemiam proficiſcitur.*

13) Annaliſta Saxo & Bruno in hiſtoria belli Saxonici p. 208. iisdem pene verbis: *Dum Henricus eſſet iuxta Danubium, & ſecum haberet ſororis ſuæ maritum Salomonem, ſimiliter ab Hungariæ regno depulſum, quod temporibus illis vigebat depoſitio Regum, genero ſuo iam redituro in patriam, in cujus extremitate paucas urbes habendo vix hærebat, Epiſcopum Burchardum commendavit, eumque multum, ut nunquam in Teutonicis finibus videretur, obſecravit: quod & ille promiſit.*

14) Lambert. Schaffnaburg. ad h. a. p. 408. *Erat ipſo tempore apud Regem ſoror eius, uxor Salomonis Regis Vngariorum, quam maritus regno expulſus, dum in armis*

dum celebrandæ Miſſæ licentiam ob feſtum Nativitatis S. Joannis Bapt. a cuſtodibus impetrat, ope Udalrici militis ereptus deſtinatam ſibi calamitatem effugit. An vero tunc Juditha, quod propoſuerat, Conjugem ſuum reipſa fuerit ſecuta, non conſtat. Eam tamen, etiam cum in regno ſub Ladislao patruele viveret Salomon, apud virum ſuum vixiſſe ex ſequentibus videtur deducendum; quamvis hic convictus non longi fuerit temporis. Reverſa enim in Germamaniam Ratisbonæ ſub patrocinio fratris ſui tutam vitam duxit, eapropter maledicorum linguis, quod conjugale ſacrum fœdus negligeret, vehementer lacerata. Itaque neque ulteriores graves ærumnas, quibus Salomon ſe ipſum invito Rege Ladislao involvit, experta eſt, neque ejus in carceres abductionem oculis ſuis mœſta ſpectavit; liberatum tamen eum præter omnem opinionem an. MLXXXIV. accepit, dum Divi Stephani ſacræ exuviæ elevarentur, (15) Ladislao ei liberum Ratisbonam abitum, ex altiori admonitione, permittente. (16) Verum Salomoni armis jam tractandis,

---

& *procinctu eſſet, nuſquam tutius, quam apud fratrem manere iudicaverat, donec recuperato, ſi fieri poſſet, regno, in iucunditate perfrui coniugio liceret. Cumque poſt multum iam tempus ad maritum in finibus Ungariæ commorantem redire pararet; Rex opportunam eam arbitratus, quæ crudelitatis huius munere fungeretur, rogavit eam, ut Epiſcopum Halberſtadenſem ſecum abduceret, atque in locum, ex quo nulla ei deinceps in regnum Teutonicum redeundi copia fieret, deportari faceret. Annuit illa petenti, & navi impoſitum cum hominibus ſuis præmiſit, ipſa paucis poſt diebus, cum profectioni ſuæ neceſſaria ordinaſſet, inſecutura præcedentem.* Conf. Monachi Hamerslebienſis geſta Imperatorum Ottonum & Henricorum. p. 710.

15) Chartuitius in vita S. Steph. cap. VII. n. 33.

16) Bertholdus Conſtantienſ. ad h. a. *Rex Vngarorum Latislaus parti Catholicorum aſſentaneus æmulum ſuum Salemonem de carcere relaxatum Ratisponam ad uxorem ſuam ei permiſit, licet ingratam; nam nec illa, nec ille coniugale fœdus ad invicem eatenus ſer-*

dis, & miſeræ vitæ aſſueto tam quies ipſa, quam longior commoratio extra patriam apud uxorem diſplicuit. Cum autem a Germanis ſecum ipſis tunc occupatis nihil ſperaret auxilii, ad Cumanos tranſiit, eorumque barbaris copiis adjutus, velut ſi Acheronta moveret, Hungariam infeſtus primum petiit: hic vero victus, iterum iis Ducem egit adverſus Bulgaros & Græcos, cui tamen auſui etiam fortuna defuit; quin ipſe tandem anno MLXXXVII. occubuit, ſive ab hoſtibus, ſive a ſuis cæſus; (17) neque enim in hoc ſcriptores conveniunt. At quid aliud a barbaris expectandum erat homini inquieto? Vidua Juditha ſequenti anno Vladislao Poloniæ Duci nuplit. Res omnibus Poloniæ Hiſtoricis (18) pervulgata;

ſervaverant: imo contra Apoſtolum ſe ipſos fraudare non timuerunt. Erat autem ipſa ſoror Henrici ſæpe nominati, quæ & ab ipſo iam diu Ratisponæ ſuſtentabatur, etiam antequam maritus eius captivaretur.

17) Idem ad h. a. *Salomon quondam Rex Ungarorum, ſed a Ladislao iam dudum regno privatus, & in exilium expulſus, dum quiddam factitare contra Græcorum Regem* (Alexium Comnenum) *molitur, poſt incredibilem hoſtium ſtragem, & ipſe viriliter occubuit.* Annaliſta Saxo ad eund. a. *Salomon Ungariæ quondam Rex & Knut Rex Danorum a ſuis occiſi ſunt.* Engelhuſius in Chron. p. 1093. *Anno 1087. Salonian Ungarorum & Knuth Danorum Reges occiduntur a ſuis.* Bertholdus Conſtant. *MLXXXIII. Salomon Rex Ungarorum, ſed Regia dignitate indigniſſimus, prædicti Henrici cognatus, a compatriota ſuo regno privatus incarceratur, & ille pro Regia dignitate ſublimatur.*

Quam hic Author abit in diverſa ab iis, quæ Cl. Pray habet in Differt. edita Poſonii an. MDCCLXXIV. de hoc Salomone!

18) Martinus Gallus in Chron Pol. p. 80. *Illa mortua Wladislaus Dux, quia homo gravis, debilisque pedibus erat, & etate provectus, habebat ſororem Imperatoris tercii Henrici uxorem prius Salomonis Ungarie Regis.* Boguphalus Ep. Poznanienſis p. 28. in Chron. *Et quia Regem tam Illuſtriſſimum, cui nihil de humana exiſtimatur felicitate defuiſſe, abſque uxore eſſe non decuit: ideo ſoror Imperatoris Henrici tercii relicta Salomonis Regis Hungarorum ſibi matrimonialiter copulatur.* Chron. Lechitarum ſec. XIII. exaratum (erravit Sommersberg. ſec. XIV. attribuens; deſcriptor ſolum tem-

neque facile occurrent nuptiæ, quibus promotores duo Sancti forent, quales in his fuerunt Ladislaus Ungariæ (19) & Otto postmodum Bambergensis Episcopus, qui cœpit consilio, & dexteritate perfecit. Ita vero in hujus vita (20) refertur: *Cum aliquot annos probe & sapienter ibi* (in Curia Polonica) *mansisset, uxor Ducis defuncta est. Expletis igitur diebus lamentationis ac luctus, cum se lætius Dux habere cœpisset, Otto, qui cum Majoribus terræ frequenter erat, tentare & investigare cœpit de animo Ducis, si quo modo ultra ad alios thoros venire cogitaret, adjungens, quod in partibus Teutonicis honestissimum posset intervenire Matrimonium, per quod magna nobilitas imo totius Theutonici regni potentia summis amicitiis conjungeretur. Dum hæc Otto crebro monet, sermo ad Ducem perlatus est. Primo autem cœpit apud se ille tractare, deinde consilium habere cum aliis, postmodum ipsum Ottonem ad consilium vocare, plenius ab eo rem cogniturus. Itaque Otto de majestate ac potentia Romani Imperii & de antiqua & clarissima Regis prosapia pauca præmittens, de viduitate sororis ejus, Dominæ viduæ* (21) *quodque eam Imperator dignis thalamis sociare volens, totius curiæ, ac Principum super hoc consilium expectaret, plurima subjunxit, felicem fore affirmans, cui tantæ pulchritudinis thorus contingeret. Ex parte autem Ducis monebat, ultra in imperiis nihil ei quærendum, nisi amicos, genus, potentiam, utpote cui opes abunde suppeditarent. Quid plura? Dux ipse, omnesque consilii participes a Deo sermonem esse dicunt. Deinde magis ac magis Ducem hortantur sui, monent publice ac privatim, hoc*

tempus suum in fine adnotavit: *Finita Chronica Lechitarum per manus Johannis sub anno Domini MCCCLIX. in Sabbato ante Dominicam, qua canitur: Cantate Domino)* p. 6. *sed ne patri diu molesta esset iugalis viduitas, Regis Ungariæ relicta, Henrici III. Imp. sorori coniugatur: item Juditæ.* Conf. Chron. Polon. sec. XV. apud Sommersberg. p. 24. alterum editum Gedani. p. 17.

19) Joan. Herburtus de Fulstin. in Chron. Pol. lib. IV. cap. II. p. 46.

20) Acta SS. T. I. Julii p. 379.

21) Bene advertit Joan. Bapt. Sollerius Hagiographus vocem *Viduæ* repetitam superfluere, & *Juditha* substituendam. Error Scriptoris ex æquali triplici ductu literarum primæ syllabæ natus.

hoc tam ingens decus, tam opportune venientem gloriam mature captandam. Ubi autem ad plenum Duci res animo ſedit, non prius adgredi voluit, niſi & hoc Principibus Poloniæ placeret; habito igitur colloquio, invenit aſſenſum: id idem omnes ſequuntur, probant, cupiunt, tanta claritate, tantaque nobilitate illuſtrari Poloniam. Otto igitur pro tali conſilio magnus & clarus habitus eſt. Cum ergo de nuntiis ageretur, ipſe eligitur, & magni ſummique viri comites ei decernuntur, veſtitur, ornatur, ditatur, omnibusque neceſſariis, quæ uſus honorque poſcebat, abunde expeditur, ſicque in multa gratia dirigitur, in ſummæ legationis ſecretiſſimo officio, gratiam & gloriam recepturus. Eo tempore ſoror Imperatoris in contubernio ipſius, digno honore & apparatu manebat; de qua ille magnæ affinitatis ſperans neceſſitudines, ſecundum magnificentiam generis ac potentiæ, felices de illa nuptias expectabat. Acceptis igitur nuntiis, & petitione Ducis, Rex hilariter reſpondit: magnæ legationi conſilio Principum ſe reſponſurum pollicetur, gratias tamen agens DEO, vota ſua de honore ſororis opportune promotum iri. Conſilium igitur de tanto negotio habens cum Epiſcopis & Archiepiſcopis, aliisque Principibus ſeu magnis viris, magnifice tractat rem, & retractat, nuntiis interim ad decus imperiale bene habitis. Denique ubi ſatis omnia exquiſita videntur, vocatis eis, rem per ſe breviter exequitur Imperator, Ducem Poloniæ nobilitate, opibus, ac potentia dignum altis thalamis; ſororem quoque ſuam unicam unici fratris gratam ſibi præ cunctis rebus, libenti animo tali viro copulare, quia ſuis fidiſſimis hoc viſum ſit conſiliariis. Addit etiam hoc commercio duos populos confœderari, Poloniæ res nobilitari, Duci amicos, potentiam, & gloriam conquiri. Figitur ergo contractui locus & tempus, remittuntur nuncii magnis cumulati muneribus, ingens utrinque apparatus pro perſonarum dignitate, nuptialibus rebus componitur. Libuit hæc longum referre, ut non cœce itum in has nuptias, ſed magna deliberatione omnia peracta fuiſſe conſtet. Nuptias eodem anno MLXXXVIII. Cracoviæ celebratas fuiſſe ferunt, & quo major eſſet feſtivitas, Vladislaus Mezlaum, alias Myeſzkum filiaſtrum ſuum ex Hungaria reductum voluit eadem ſecum

cum ſolemnitate matrimonio jungi cum Eudoxia Suatopolci Ducis Kioviensis Germana. (22) *At per hæc* (proſequor ſuperiora) *major iterum gratia Ottoni acceſſit, ſuique paranymphi Domina oblita non eſt, in omni domo ſua inclitum, charum, & familiarem eum habens. Et quotiens Germano ſuo Imperatori dona vel reſponſa mittebat, Otto internuntius, & fidus mediator fuit; factaque eſt per eum quaſi una Reſpublica, domus Imperatoris & domus Ducis; cumque inter eas ſæpe iret & rediret, Imperator vir ſagax, Legati fidem & prudentiam animadvertit, & quamvis ſorori, ac ſororis marito commodum eum ac neceſſarium agnoſceret, intelligebat tamen altiori dignitati hunc fore opportunum. Quare clementi cum beneficentia eum alliciens, ſorori pro eo ſcripſit verba poſtulationis, ſuis dicens talem Clericum obſequiis neceſſarium. Soror autem & Dux in multis divitiis benefacientes Capellano ſuo, in multa honeſtatis gratia Imperatori eum quamvis inviti dimiſerunt.* Verum Juditha brevi tempore eo caruit, quod ipſa ſub tempus diſceſſus ejus e vita abierit. Id quidem ex Ebbone altero vitæ Ottonis ſcriptore (23) apparet, qui hunc e Polonia mortua Juditha reverſum narrat. Sed & hujus reverſionis tempus adhuc non oſtenſum eſt. Mortuam eſſe ante maritum, qui an. MCII. (24) e vivis abiit; inde habemus, quod eodem anno Otto jam ordinatus ſit Epiſcopus. Cæterum Juditha ex Salomone improlis abiit, (25) ex Vladislao tres tantum filias genuit; nobis adhuc ano-

---

22) Jodoc. Decius in Chron. Pol. lib. III. cap. II. p. LIV.

23) Lib. I. c. I. *Poſt obitum ergo Dominæ Venerabilis Juditæ ad Teutonicas reverſus regiones Ratisponam adiit.*

24) Chron. Pol. Gedani ed. MDCCXLIX. p. 17. *Hic anno Domini M.C. ſecundo vita deceſſit.*

25) Thurocz P. II. Cap. XLVIII. *Rex autem Salomon & David frater ejus liberos nunquam habuerunt, & in ipſis ſemen Regis Andreæ defecit.*

anonymas; *quarum una in Ruſſia viro nupſit, alia vero ſuum ſacro velamine caput texit, tertia vero quendam ſibi ſuæ gentis conjunxit.* (26) Ita vero ſucceſſit in thalamum Conjugis ſui e ſorore Adlecta nepti.

Andreas

Adlecta nupta Vratisl.	Salomon uxor Juditha.
Juditha nupta Vladisl. Pol.	

26) Martinus Gallus in Chron. p. 80. Conf. Bugophalus, aliaque Chron. ſupra cit. Joan. Dlugoſſus Hiſtor. Pol. lib. IV. ad an. 1088. *Charæ uxoris Judithæ Wladislaus Polonorum Dux orbatus deſtitutusque ſolatio, alterum matrimonii fœdus abhorrebat, crebris tandem ſuorum Prælatorum ac Baronum perſuaſionibus expugnatus, B. Wladislao Pannoniorum Rege ſuo affine, id quoque ſibi & reipublicæ expedire conſente, Zophiam, alias Zophoniam Ungariæ Reginam, Salomonis Regis Ungariæ relictam, & Henrici tertii Imperatoris filiam, & quarti Henrici tunc regnantis ſororem, deſponſat in uxorem. Hæc in Hungaria (Salomone Rege poſt infelicem pugnam, quam Hunnorum adiutus auxilio cum Duce Kuſteck geſſit, in Bulgariam primum, deinde Iſtriam divertente) morabatur, omnisque ei honos a B. Wladislao Rege ſervatus eſt, & donatio dotis nomine ſibi de rebus & poſſeſſionibus per Salomonem facta, ſincere & integre habita, & propter proſapiæ excellentiam & ſtatus Reginalis dignitatem. Eo quoque beneficio B. Wladislao Regi obligata minus cunctanter, ipſo B. Rege huiusmodi promovente matrimonium, Polonorum Duci Wladislao nupſit, & in Poloniam frequenti & inſigni comitatu deducta, haud contemnendam nobilium rerum, & clenodiorum ſuppellectilem, ſecum in Poloniam attulit. Et licet prædicta Zophia Regina uxor Wladislai Ducis Polonorum vivente primo marito Salomone Rege ſterilis ſemper fuerit, ex Wladislao tamen Polonorum Duce fœcunda eſſe cœpit, tres quoque filias tempore procedente edidit.*

Ano-

Anonyma.

GEYSÆ I. UXOR.

Neque cujus nominis, neque cujus gentis fuerit Geyſæ I. Conjux ſcimus, adeo ut, niſi Almus filius certus eſſet, ne quidem conjugio ſe permiſiſſe Regem hunc aliquis credere poſſet. (1) Acceſſit faciliori Reginæ hujus oblivioni turbulentus in regnum ingreſſus, & breve, nonniſi duorum annorum regimen. Denique filii infelicitas, excæcatio, exilium, & mors extra patriam ſpem omnem aliquid de ipſa eruendi ſuſtulerunt. Utcunque vero fuerit ſortis malignitas, non tamen impedire potuit, ut non ex ipſa Ungariæ Reges fere per centum & ſeptuaginta annos imperarent. Fortaſſis Hungariam nunquam vidit, mortua antequam Conjux ad regnum perveniſſet. Thurocz, aliique (2) fratrem Almo attribuunt Colomanum, poſtmodum Regem. Verum hi ambigua ſignificatione *Fratris*, qua etiam fratris aut ſororis filium vel etiam patris & matris fratrem compellare (3) ſolent, decepti aut

---

1) Joan. Scylitz. Curopol. Contin. Cedreni in Nicephoro Botoniate. p. 678. *Dedit item ſororis ſuæ filiam Synadenen Theodulo Synadeno genitam Crali Ungariæ Uxorem, quo etiam mortuo rurſus eſt Bizantium reverſa.* Imperavit Nicephoro ab an. MLXXVIII. ad MLXXXII. Si quis fortaſſis hanc voluerit Geyſæ uxorem, pace mea id fecerit.

2) Coſmas Pragenſis p. 31. *Hic enim Almus a fratre ſuo Colomano cæcatus.* Chron. MS. ſec. XII. *MLXXXXVII. Ladizlaus Rex obiit, & frater eius Lampertus, quibus Colomanus & frater eius Almus ſuccedunt in regnum.*

3) Idem MS. Chron. ad an. MLXXXI. *Ladislaus Rex & Salomon frater eius pacem*

aut locuti ſunt. Eadem ratione filiæ ad alium transferendæ ſunt; quod in Ladislao clarius demonſtrabo.

cem fecerunt; qua phraſi etiam Chartuitius de ipſis loquitur cap. VII. Atqui hi fratres nequaquam fuerunt, ſed fratrum filii. Idem Coſmas Pragenſis p. 20. *Bela impietate cœcatus fraterna*, & tamen Bela cœcus Almi filius erat, patruelis Colomani. Malaterra Almum Ducem Colomani, non vero fratrem vocat, quod tamen ex dignitate ſponſæ fuiſſet memorandum, pro qua frater Regis fuerit miſſus.

Chron. Pol. Principum T. I. p. 28. *Rediens inde Boleslaus ſtatuit cum Colomano Rege Hungarorum litteris erudito locum & terminum colloquendi, ad quem tamen terminum Rex Hungarorum venire timuit, propter quemdam Hungarorum Ducem Almum, qui fugatus de Hungaria circa Boleslaum hoſpitalitatis gracia moram traxit, tandem tamen miſſis aliis legationibus in ſimul convenerunt, & amicitia perpetua ſunt confederati.*

ADELHAIS

SANCTI LADISLAI I. CONJUX.

Tametſi diu dubitatum fuerit, cœlibemne, an conjugalem vitam Sanctus Ladislaus elegerit, nunc tamen concordatis pluribus documentis certum eſt, ipſius quoque Divi teſtimonio (1) ei Conjugem fuiſſe. Cujus vero illa nominis? Nonnulli ambiguum, & obſcurum Ant. Bonfinii (2) locum excipientes duas ei plane Conjuges Geslam, & Olhait tribuunt. Verum poſtea ſatis probabiliter oſtendam ſub prima Colomani Conjugem intelligendam; igitur Olhait, id eſt Adelhaidem ſolam ei concedamus eſt neceſſe. Unde autem illa? Germanam nomen prodit. Cl. Palma (3) exiſtimavit Bertholdi Alemanniæ Ducis filiam fuiſſe; quomodo Geslam dictam eidem Frölichius (4) attribuit. Ego Albizio duce errante me natales ejus certius reperiſſe credo. Hic Colomano (5) Adelam Rudolphi Comitis de Rheinfeldem filiam Conjugem aſſignat: quod non aliunde natum videtur, quam ex conjunctione epitaphii, ut Ladislai & Colomani Regum Conjuges permu-

---

1) Vide infra num. 8.

2) Dec. II. lib. IV. p. 182.

3) Part. I. Not. Reg. Hung. p. 170. ad Hanſizium T. II. Germaniæ ſacræ provocans, qui tamen nihil habet, quo ei ſuffragetur: ſed Adelhais ſolum ſoror erat Bertholdi, eodem nimirum Patre Rudolpho progenita cum Bertholdo.

4) In Archontologia Carinthiæ.

5) In Stemmatibus Chriſt. Principum Tab. XVII. & Franc. Guillimanno in Habſpurgic. lib. V. p. 52.

mutaverit. Erat Rudolphus ob virtutem & genus digniſſimus, qui ſocer Divi Regis adſciſceretur; eum enim Germaniæ Principes exauctorato an. MLXXVII. Henrico Romanorum Regem deſignarunt (6) ſecutique ſunt, dum an. MLXXX. ineunte in prælio lethali vulnere accepto Merſeburgi e vivis (7) abiit. Adelhais Patris & Mariti virtutes æmulata conſervationi & augmento Divini cultus pium animum intendit, atque inter cætera Veſprimienſi S. Michaelis Archangeli Eccleſiæ prædium Merena vocatum de Conjugis ſui voluntate, & conſenſu (8) an. MLXXXII. donavit. Sepulta eſt Veſprimii, eique poſteritas breve epitaphium adjecit.

COLOMANI, (9) & LADISLAI
Sanctiſſimorum Pannoniæ Regum
Conjugum
hic oſſa quieſcunt. (10)

6) Marianus Scotus ad h. a. *Poſt Rudolphum mierunt, eumque ſuper ſe Regem fecerunt. Qui ductus Moguntiam conſecratus eſt a Sigefrido Archiepiſcopo in Regem.* Auctor vitæ Henrici IV. p. 383. *Rudolphus Dux eximius, vir magnæ auctoritatis, & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique ſpectatus in omni genere virtutum.*

7) Chron. Magdeburg. p. 316. Halberſtad. p. 125. Brun. p. 228. Annaliſta Saxo ad an. MLXXVII. Fabricius Originum Saxonicarum lib. III. p. 360.

8) P. Palma op. cit. p. 169. adfert locum ex litteris Sancti hujus Regis Eccleſiæ Veſprimienſi an. MLXXXII. Calendis Maji datis: *In prædio Merena, quod uxor noſtra conceſſit Eccleſiæ Sancti Michaelis de noſtra voluntate.*

9) Adjeci hoc nomen ad complendum ſenſum, cujus rationem poſtea dabo, ubi de Buſila Colomani egero.

10) Apud Bonfinium loc. cit.

Liberos (11) nullos genuit. Cæterum id ſingulare animadverto, S. Ladislaum inter proavos Joſephi Auguſti noſtri recenſeri, & computari; ſic enim fit deſcenſio.

S. Ladislaus.

Sophia ſoror S. Ladislai
nupta Magno Saxoniæ Duci.

Wulfhildis
nupta Henrico Bav. Duci.

Juditha
nupta Friderico Sueviæ Duci.

Bertha (12)
nupta Matthæo Lotharingiæ Duci.
Inde cæteri proavi Aug.
noſtri.

Sequens tabella oſtendit S. Ladislaum Regem etiam cum Domo Brunſvicenſi per ſororem ſuam Sophiam fuiſſe ſanguinitate conjunctam.

S.

---

11) Author quidem plures ei proles attribuit, nimirum filium unum *Colomanum*, & filias tres: *Priſcam*, ſeu *Pyriſkam*, Græcis *Irenem* dictam, *Sophiam* & *Berthan*. Verum Reverendiſſimus D. Ganoczy Canonicus Varadinenſis in ſua eruaita Diſſert. *De Sancto Ladislao Fundatore Epiſcopatus Varadinenſis*, quæ plane his diebus lucem aſpexit, S. Regem improlem deceſſiſſe, firmioribus oſtendit momentis, ut quidem Conſtantinus Franciſcus de Cauz, S. C. M. a Conſiliis, & actualis librorum C. Reg. Cenſor, cujus judicio laudata Diſſertatio ſubjecta fuit, hujus operis editori conteſtatus eſt. Qua de cauſa omnia, quæ P. Xyſtus in hanc rem attulerat, prætermiſſa fuerunt.

12) Otto Friſing. in Frid. lib. I. cap. XIV. *Judithan* appellat.

S. Ladislaus.

Sophia
Magno Saxoniæ Duci nupta IIdo matrimonio

Wulfhildis,
nupta Henrico nigro Bav. Duci.
Patri Domus Brunſwic.

Henricus Superbus,
Dux Bav. Dominus Brunſwici & Lüneburg.

Nuptiæ ante ann. MLXXIX. celebratæ ſunt; quippe eo anno (teſte Guillimanno) Bertholdus Zaringenſis Agnetem Rudolfi ex tribus filiam unicam ſuperſtitem, dotemque Allemaniæ Ducatum, & Comitatum avitum Rheinfeldenſem accepit Non tamen multo antea, quod Rudolfus nonniſi poſt an. MLX. quo prior Conjux Mathilda Henrici III. Cæſaris filia defuncta eſt, Adelhaidem acceperit. (13)

13) Joan. Staindel. p. 485. ad an. MXCV. *Ladislaus Rex Hungariæ miſericordiæ operibus plenus vitam finivit in Domino . . . . Ladislaus ille obiit III. Kalend. Aug. anno regni ſui XIX, ſepultus Waradini in Monaſterio ſuo, cui Colomanus ſucceſſit.*

BUSILA

COLOMANI REGIS PRIMA CONJUX.

Si cuipiam Pannoniæ Regum apologia ſcribenda eſſet, Colomano deberetur; adeo enim præter meritum nigris coloribus depictus eſt, ut inter ſanguinolentos, ne dicam ſceleratos deprimatur. Sed alterius calamo hæc relinquamus; nobis de Conjugibus ejus tractaturis id ſolum animadvertendum: nihil omnino repugnare, quin Colomanus novellæ Eccleſiæ Varadienſi deſtinatus ſit a Patre, eaque de cauſa Almum fratris filium ab eodem regni ſucceſſorem deſignatum, qui tamen perſpecto populi favore Colomano ceſſerit. Colomano cum ab Eccleſiæ onere liberaretur, videtur tamen injunctum, ut preces quaspiam ſingulis diebus diceret, quarum cauſa cum populus in manibus ejus ſæpe librum videret, eum *Könyves Kálmánya*, libriferum Colomanum appellavit. Fabula eſt quorundam opinione recitatum, Varadienſem Epiſcopum, cujus filiam putatam Divus Ladislaus e Biſſeni manibus liberare voluit, fuiſſe Colomanum; neque enim tunc adhuc Varadienſis Epiſcopatus extitit. Id quoque veroſimile non eſt, eum ante aditum regnum conjugio fuiſſe illigatum, quamvis hoc tum tam Clero inferiori, quam Epiſcopis in Hungaria omnino permiſſum fuerit. Attamen ut regnum adeptus eſt, Buſilam Rogerii Siciliæ Comitis, & Deliciæ antiqua Normanorum Comitum ſtirpe ortæ filiam ſibi Conjugem adſcivit. Gaufridum Malaterram (1) narrantem audiamus: *Alamanus* (Colomanus) *autem Rex Ungarorum audiens famam Siculorum glorioſi Comitis Rogerii Legatos dirigens, filiam ſuam in matrimoni-*

1) Lib. IV. cap. XXV.

nium concedi expoſtulat. Ille vero, quamvis honeſti viri, qui ad hoc venerant, eſſent, tamen illos honeſte a ſe dimittens, de ſuis etiam ne fallatur, cum ipſis dirigens remandat, ut, ſi executum, quod cœperat, velit, alicujus auctoritatis, gradus vel ordinis perſonas, quibus facilius credatur, ad id confirmandum mittat. Qui anhelus exequi Arduinum Jovienſem (Jaurinenſem) *Epiſcopum & Thomam Comitem idem expoſtulatum mittit. Comes autem eos honeſte accipiens ſecum detinuit, de ſuis honeſtos, & callidos viros apud Pannoniam mittens, in eorum præſentia, a potentioribus regionis illius exequenda poſtulabatur juramento firmare. Quod Rex libenter annuens, per ſuum Ducem nomine Alivum* (Almum) *& reliquos non minoris dignitatis viros, omnia, quæ mandaverat, exequenda juramento firmavit, ſicque Legatos Comitis, ut pactum firmatum renuncient, munificatos a ſe dimittit. Comes autem relatione ſuorum accepta, haud ſecus & ipſe Legatos Regis a ſe dimittens, pluribus honoribus a ſe compilavit* (cumulavit) *Regi terminum, quo ſibi filiam ſuam mittat, ſtatuit. Anno itaque Incarnationis milleſimo nonageſimo ſeptimo, apparatis, quæ neceſſaria erant, menſe Majo, cum trecentis militibus uſque Thermas* (Teramo) *conducere facit Henricum Leſcaſtrenſem Epiſcopum, & quosdam de fidelibus ſuis ab inde maritimo curſu uſque Pannoniam cum puella procedere faciens, qui navibus apparatis puellam cum multis ſponſalibus intromittentes, velis vento commiſſis, proſpera aura flante per æquora feruntur, uſque dum in portum Albæ, qui juris Regis Ungarorum eſt, impune applicant. Hinc Vincurius Comes Belligratæ miſſus cum quinque millibus armatorum obvius fuit, eamque cum ſuis, qui cum eo venerant, decipiens uſque ad Regem perduxit. Per totam Pannoniam nuptiæ Regis præconizantur. Undique cum enceniis concurritur, & cum ſemper frequens, & numeroſa manus ex more cum Rege ſit, innumerabilem turbam plus ſolito rumor nuptiarum, & novæ Reginæ viſendæ appetitus conflavit. Die determinato præſentibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & diverſis ordinibus dos puellæ, legali more, in publico proteſtatur.*

tur. Rex & Regina Catholice pariter desponsantur, solemnesque nuptiæ in tentoriis, & ex virentibus ramis tabernaculis factis celebrantur. Nam nullæ domus tantæ multitudini sufficiebant. Nuptiis itaque Regalibus expletis, Rex Episcopum Lecastrensem, & qui cum ipso reversuri advenerant, aliquantisper secum commorari faciens, ut videt de egressione festinos, regaliter munificatos a se dimisit. Quam multum vero de nuptiarum præparatione, festivitateque accepimus, tam parum de cæteris Busilæ gestis habemus, nisi quod sanctum fuisse conjugium haud dubitem, quæ enim Thuroczius habet, ipso eo refellitur, quod mox de ineundo legitimo matrimonio cogitavit, & postea, dum alteram Conjugem adulterii argueret, nihil ab ea illi objectum legatur. Nati sunt ex hoc matrimonio filii duo Ladislaus (2) & Stephanus regni hæres. Filia una Sophia (3) nupta cuidam, ut puto domestico; filium ejus Saulem nonnulli ad regnum deinde evehere contenderunt sub postremos Stephani II. annos. Ipsa sub an. MCXII. fatis cessit, & pone Adelaidem D. Ladislai Conjugem Vesprimii sepulta est. Id ex Bonfinio colligo; is de Divi hujus Regis conjugio agens ait (4) *sine liberis aliqui decessisse ferunt, neque anne uxorem duxerit, satis constat, nisi quod ex epitaphio quodam sepulturæ inscripto ad Vesprimiensem Basilicam, in quam Antistes quidam Geslæ, & Olhait Re-*

---

2) Hic an. MCVIII. iam *fatis cessit*; nam Pater eius in diplomate (apud Lucium lib. III. cap. IV. hoc anno dato de uno tantum filio mentionem facit: *Ego Colomanus Rex Hungariæ, Croatiæ, atque Dalmatiæ iuro super sanctam crucem vobis Tragurinis, meis fidelibus firmam pacem, mihi & filio meo tributarii ne sitis.* Aut certo Ladislaus primo post an. MCVIII. ei natus est.

3) Thurocz P. II. cap. LXIII.

4) Dec. II. lib. IV. p. 182.

Reginarum ossa congessit, epigramma tale est : Ladislai Sanctissimorum Pannoniæ Regum Consortum hic ossa quiescunt. Epitaphii imperfectio alterius cujusdam Regis nomen omissum fuisse ostendit. Stephani quis augurari posset; sed illam Batavii quievisse supra asserui. Colomani igitur Busila (quod Bonfinius facile Gesla legerit) hic est sepulta; huic enim soli Regi, quidquid posteriores de eo scribant, sanctitatis gradum, paremque honorem Divis Stephano, & Ladislao tribuit M. Rogerius Varadiensis Capituli Canonicus (5) rerum Patriæ suæ certe non ignarus.

---

5) In miserabili carmine de destructione Hungariæ per Tartaros facta cap. 1. *Cum Bela Rex Hungariæ inter Principes Christianos Zelator Catholicæ fidei noscereturr, ad instar progenitorum suorum Stephani, Emerici, Ladislai, & Colomani Regum, qui Sanctorum Catalogo sunt adscripti.* Unde habemus saltem aliquem cultum ipsi aliquando attributum fuisse. Certe alius Colomanus in Regia familia Hungariæ non occurrit, nisi Colomanus e Borichio spurio natus, & alter Belæ hujus frater, qui inter progenitores numerari nequierunt.

Anonyma.

COLOMANI SECUNDA CONJUX.

Colomanus defuncta Buſila, e Ruſſia (1) alteram Conjugem ſibi adſcivit, cujus nomen ignoramus, neque multum intereſt noſſe, quippe quæ thori commaculati rea a marito inventa ad ſuos remiſſa eſt. Ipſe vero Colomanus paulo poſt defunctus eſt anno nempe MCXIV. (2) Genuit Ruſſa ex adulterio apud ſuos Borichium, qui multum negotii faceſſivit ſubſecutis Regibus contendens ſe legitimum Colomani filium fuiſſe, (3) tan-

---

1) Ritterus Mariam vocat, vel Margaritham e Raſcia ſeu Boſnia genitam, quod absque fundamento dictum oſtendit Kercselich Not. Prælim. p. 134.

2) Keza cap. LXII. *Anno Domini MCXIV. tertio nonas Februarii feria tertia migravit ex hoc ſeculo;* quæ concordant cum annis regiminis Stephani filii; diploma enim, quod Lucius lib. III. cap. IV. producit de anno MCXXIV. vitioſum eſt. Regnavit ergo annis decem & octo, menſibus ſex, diebus quinque ut habet Chron. Bud. quod curate ſignatum eſt a morte Ladislai.

3) Cont. Coſmæ Prag. ad an. MCXXXII. *Eodem anno Dux Polonorum cum infinito exercitu in Ungariam profectus eſt, volens filium Colomanni, expulſo Rege cæco, qui vocatur Bela, invitis Ungaris intronizare. Mater enim præfati juvenis a marito ſuo Rege videlicet Colomano repudiata, dum eſſet prægnans, rediit ad Patrem, atque ibi puerum peperit.* Otto Friſing. lib. VII. cap. XXI. *Boritius, qui & ipſe Colomani, ſed ex alia, quam Stephanus matre, Rutenorum ſeu Chios Regis filia natus dicebatur, regnum paternum requirit.* Idem lib. I. Frid. cap. XXXII. *Erat Boritius Colomani quondam Regis Ungariæ filius prædictum regnum Ungariæ iure hæreditario repetens, & ad hoc adipiſcendum utroſque Principes Romanorum ſcilicet, ac Græcorum frequenter ſollicitans, multosque ex militibus noſtris ad favorem ſuum pecunia inducens.*

tandem ſub an. milleſimum, centeſimum, quïnquâgeſimum quintum a Cumano occiſus eſt. (4)

---

4) Otto Friſing. lib. II. Frid. cap. XXXII. *Non longe ante hæc tempora Græcorum Princeps cum Boritio contra Ungaros copias mittens magnum ſui detrimentum accepit exercitus, in tantum, ut & Boritius a quodam, qui ſecum venerat, Cumano, qui & Scytha, ſagitta transfixus necaretur.* Itaque Boritius Banus ſub an. MCLXIII. in diplomatibus occurrens alius eſt. Colomano huic noſtro fortaſſis accomodanda ſunt, quæ ſcribit Andreas Ratisbon. in Chron. apud Pec. T. I. col. 2068. *Huius* (Paſchalis II.) *temporibus Rex Ungariæ per litteras ſuas ſcribens Domino Papæ renunciavit inveſtituris Epiſcoporum, & aliorum Prælatorum.*

JUDITHA
STEPHANI II. PRIMA CONJUX.

Boleslai III. Polonorum Principis, & Zbislavæ Ruſſæ filia an. MCV. (1) orbem ingreſſa, vix tertium ætatis annum inchoaverat, cum jam de futura ejus ſorte ageretur. Colomanus enim Rex potentem Principem ingruentibus e Germania periculis ſibi juncturus Boleslaum oblato prolium ſuarum connubio ſibi devincire conatus eſt. *Loco dieque conſtituto*, narrat Cromerus (2) *conveniunt Principes in Scepuſienſi territorio; ſocietatem inter ſe ineunt; communes amicos, communes hoſtes ſibi fore promittunt. Fœdus, quo firmum, perenneque ſit, nova affinitate ſanciunt. Colomanus enim Juditham Boleslai filiam Stephano filio ſuo natu majori deſpondit: Scepuſienſe territorium, quod Poloniæ ditionis erat, in dotem datum.* Addiderit in commendationem Judithæ aliquid memoria proaviæ ejus Hungaræ Adelaidis. (3) At-

---

1) Hennelius in Tab. Geneal. T. I. Sommersberg. p. 301.

2) Lib. V. rer. Polo.

3) Linea hæc eſt:

Adelais ſeu Adlecta
filia Andreæ I. nupta Wratislao Boh.
|
Juditha
nupta Vladislao Pol. Duci.
|
Boleslaus.
|
Juditha.

Atque desponsatio hæc connubiumque subsequens (4) certa sunt, non item dos assignata. Quamvis enim idem Dlugossus (5) aliique asserant, videtur tamen potius Castellania de Spissz (6) intelligenda, quam Scepusiense territorium jam olim (7) Hungariæ conjunctum. Utcunque vero sit, hæreo tamen, auspicatumne hoc connubium dicendum sit. Funestatum id primum mortua eodem

 con-

---

4) Chron. Pol. sec. XIV. p. 37. *Hic habuit etiam quinque filios: Wladislaum, quem genuerat ex quadam Rutena nobili; qua mortua ex Theutonica, quam duxerat, genuit Boleslaum quartum, & Messikonem tercium, Henricum primum, & Cazimirum secundum, nec non Juttam traditam Regi Hungariæ in uxorem.* Et postea: *Revertitur per Hungariam præliando, & tandem filiam suam Juttam Regis Hungariæ filio tradidit in uxorem.*

5) Histor. Pol. lib. IV. ad an. MCVIII. *Colomanus Ungariæ Rex filio suo natu maiori Stephano filiam Juditham, Boleslai Polonorum Ducis, desponsat uxorem. Provinciam Scepusiensem, quæ tunc temporis iuris Polonorum fuit, & pars non modica in terra Cracovienſi consistebat, Boleslaus filiæ in dotem consignat. Ab eoque tempore sequestrata a Polonia in proprietatem & ditionem Ungaricam transiit.* Conf. Ludov. Decius lib. III. Chron. Pol. cap. VIII. p. LXVII.

6) Boguphalus Posnan. Ep. in Chron. Pol. *Qui nomine dotis Castellaniam de Spissz, quoad viveret, possidendam assignavit.* Quamvis hic author eo loci alias plura confundat. Est autem Castellania hæc in Procutia hodierna ad Carpati radices.

7) Henricus IV. Imp. In diplomate dato Pragensi Ecclesiæ (apud Cosmam Prag lib. III. ad an. MLXXXVIII.) *Inde ad Orientem hos fluvios habet terminos* (Episcopatus Pragensis) *Bug scilicet, & Zbir cum Krakow civitate, provinciaque, cui Wag nomen est, cum omnibus regionibus ad prædictam urbem pertinentibus, quæ Krakovia est. Inde Ungarorum limitibus additis usque ad montes, quibus nomen est Tatri*, id est Tatri, quomodo Slavi Carpatum appellant.

anno (8) matre Zbislava. Funeſtius eſt redditum an. MCXV. morte Colomani ſoceri, antequam ipſa adoleſceret. Quando e vita abierit Juditha, non conſtat. Immaturam quidem vel ipſi Hungariæ regno mortem ejus fuiſſe, vaga (ſi Thurocz vera narrat) Stephani vita commonſtravit. Proles nulla relicta.

---

8) Hennelius loc. cit.

Wladislaus } Boleslaus
Juditha }

Michael Ruſs } Zbislava.
. . . . }

} Juditha.

STE

STEPHANI II. Conjux altera Roberti Guiſcardi Ducis filia non fuit.

Thuroczius P. II. Cap. LXIII. refert: *Rex Stephanus legitimam nolebat ducere uxorem, ſed concubinis meretricibus junctus erat. Quare Barones, & Optimates dolentes de regni deſolatione, & Regis ſterilitate duxerunt ei uxorem Dominam nobiliſſimam filiam Regis Roberti Viſcardi de Apulia.* Secuti ſunt hucusque Thuroczium plerique. Non ego hic impugno Regis titulum perperam Guiſcardo tributum, qui Ducis honorem non niſi ægre obtinuit. Illud oſtendam potius, aſſertum hoc matrimonium omnino repugnare. Primum enim Guiſcardus quinque tantum filias numeravit, quod Romuldus Salernitanus in Chron. ad an. MLXI. teſtatur: *Ex qua* (Sichelgayta ſecunda Conjuge) *habuit filios Rogerium, Robertum, atque Guidonem, & filias quinque. Ex alia quoque uxore nomine Alberada prius habuit filium nomine Boamundum.* Totidem ei filias tribuit Guilelmus Gemetic. Hiſtor. Norman. lib. I. cap. XLIII. *Genuit autem Robertus Wiſcardus ex Sichelgaida filios tres, & filias quinque. Filiæ vero adeo excellentiſſime maritatæ ſunt, ut una earum matrimonio copulata ſit Imperatori Conſtantinopolitano.* Neque aliam prolem ex ſubſequo alio ſeu tertio matrimonio Robertus ſuſcipere potuit; ſiquidem Sichelgayta Conjugi ſuo annis quinque ſupervixit. Romualdo Salernitano ad an. MXC. narrante: *Eodem anno Sichelgayta Duciſſa mater Rogerii Ducis defuncta eſt menſe Aprilis.* (1)

Jam

1) Fœmina erat præſtantiſſima, de cujus pietate præter cæteros legendus eſt Leo Card. Oſtienſis lib. III. cap. LVIII. Petrus Diaconus lib. IV. hiſto. Caſſin. cap. VIII. *Quo tempore Sicelgaita Duciſſa Coniux bonæ memoriæ Ducis Robberti, cuius ſupra meminimus, vita decedens, propter ſummam ſpem, quam in Patre Benedicto habe-*

Jam vero quinque hæ filiæ longe ab Hungaria maritos acceperunt, quos enumerabo.

Mathilda nupta Raymundo Berengarii Barcinonenſi Comiti, de quo Guil. Apulus lib. IV. Hiſt. Norm. v. 7.

Appula dimittens loca, dum parat ire Salernam
Partibus Heſperiæ, quem Barcilona tremebat,
Venerat inſignis Comes hanc Raymundus ad urbem,
Ut nuptura Ducis detur ſibi filia poſcens.
Huic major nata nuptum datur.

Meminit ejus Gregorius VII. epiſt. XVI. lib. VI. Mortuo vero Raymundo nupſit Aimerico II. Vicecomiti Narbonenſi.

Sibylla nupta Ebalo Comiti Ruciaci, de hac idem Guil. Apulus lib. IV. v. 11. mox ſubdit:

Altera nupſit
Egregio Comiti, Francorum ſtemmate claro.
Ebalus hic dicitur, ſuccumbere neſcius hoſti,
Belligeras acies ad prælia ducere doctus,
Et facundus erat, linguaque, manuque vigebat.

Albericus in Chron. ad an. MCXIX. *Genuit autem Ebalus iſte II. de Sibylla Roberti Guiſcardi filia Comitem Wiſcardum de Roceio.*

Tertia, quam nonnulli Heriam, aut Eriam vocant, nupſit Hugoni Alberti Azonis Marchionis Eſtenſis filio. De eo Ordericus Vitalis ad an. MXC. *Hic filiam Roberti Wiſcardi Conjugem habuit, ſed generoſæ Conjugis magnanimitatem vir ignavus ferre non valens ipſam repudiavit. Pro qua re Papa Urbanus palam eum excommunicavit.*

Om-

---

bebat, ad hoc ſe monaſterium duci fecit, & in Paradiſo huius Eccleſiæ ante Baſilicam Beati Petri Apoſtoli tumulari rogavit.

Omnes Allobroges eum execrati ſunt, & juvante occaſione ferocibus Ciſalpinis extorrem deſtinaverunt. Guil. Ap. lib. III. v. 488. cecinit.

Dumque moraretur (Guiſcardus) *Trojanæ mœnibus urbis,*
Nobilis advenit Lombardus Marchio quidam,
Nobilibus Patriæ multis comitantibus illum,
Axo vocatus erat; ſecum deduxit Hugonem
Illuſtrem natum: Ducis huic ut filia detur
Exigit, in ſponſam: Comites Proceresque vocari
Quoque facit ſuper his Dux conſulturus ab urbe.
Horum conſiliis Roberti filia nato
Traditur Axonis; tædas ex more jugales
Et convivando celebrant, & multa ferendo.

Tirgattera, Græcis Helena dicta, ſponſa miſſa Conſtantino Ducæ Porphyrogenito Michaelis Ducæ Imperatoris filio ante an. MLXXVIII. De hoc Joan. Zonaras: *Michael filium ex Maria Alana, quam Auguſtam appellant, conceptum, Conſtantinum ob patris memoriam vocavit, & imperii inſignibus adornato Longobardiæ Ducis Romberti filiam deſpondet, cui adductæ Helenæ nomen indidit.* Conf. Guil. Gemetic. loc. cit. Unus Guil. Apul. (quod tamen ſcopo non obeſt) eam Michaeli ipſi datam canit. lib. III. v. 501.

. . . . . *Nec enim prius Imperiales*
Altera cum proles thalamos Michaelis adiſſet
Quodlibet auxilium dederant.

Quod tamen poſtea lib. IV. v. 1. corrigit.

His Michael ſolii dejectus ab arce diebus
(Cujus in inſontem Romanum dira voluntas
Arſerat indigne, ſocio ſibi fratre repulſo)
Monachus efficitur: Roberti filia mœret
Deponi ſocium (l. ſocerum) *miſer exulat ille coactus.*

Mabilia miſſa cum ſorore Conſtantinopolim tum quidem a Græcis *Cantalupa* dicta, & cum eadem carceri commiſſa, dein liberata quæſita fuit in ſponſam Henrici IV. Imperatoris filio, de quo Gregorius VII. Papa Epiſt. XI. lib IX. ſub an. MLXXXI. Deſiderio Abbati Caſſinenſi ſcripſit: *Hoc etiam te ſcire volumus, quod Comitiſſa Mathildis litteras ad me direxerit, quibus continetur, quod quemadmodum a familiaribus ipſius* (Henrici) *pro certo cognovit, præfatus Rex placitum cum Roberto Duce habeat, videlicet hoc, ut filius Regis filiam ipſius Ducis accipiat, & Rex Duci Marchiam tribuat.* His nuptiis turbatis tandem a morte patris ſub an. MLXXXVIII. Guilelmo de Grantemaniol Conjux data eſt. De hoc Malaterra lib. IV. cap. XXI. *Guilelmus de Grantemaniol ſumma cupiditate correptus in inſolentiam proclivis declinans, Roſanam Calabriæ urbem pervadens intrat, dicens ſibi jure competere, ut qui ſororem Ducis* (Rogerii) *filiam Guiſcardi, Mabiliam nomine, uxorem haberet, hæreditatisque particeps fieret.* Extat apud Ughellum T. IX. p. 680. Vet. edit. *Privilegium factum a me Mabilia filia Beatiſſimi Roberti Guiſcardi Magni Ducis.* Conf. Albertus Aquenſis lib. IV. cap. XXXVII. Ordericus Vitalis lib. VIII. Guibertus Abbas lib. III. cap. II.

Nulla ergo Guiſcardi filia ſupereſt, quam Stephano dare poſſemus. Sed etſi poſthuma quæpiam Duci huic fuiſſet, ipſe mortis annus ejus univerſim rem incredibilem facit. Fatis ceſſit Guiſcardus an. MLXXXV. cujus teſtes habemus Romualdum Salern. ad h. a. *Menſe Julio Robertus Guiſcardus magnificus Dux apud inſulam Caſſiopam exiſtens obiit morte communi, major ſexagenario, anno Ducatus ejus XXVI.* Concordant ad eund. an. Chron. Foſſæ novæ: *Robertus Dux moritur.* Et Lupus Protoſpaſta: *Menſe Julii, dum jam dictus* (Robertus) *moraretur in loco, qui dicitur Veneti victi a devictis Venetis, exercitusque ejus ob quamdam civitatem capiendam in Cephalonia moraretur Inſula, ipſe autem in prædicto loco cum parte exercitus reſideret, præparant ſe, qualiter*

liter cum grandi apparatu navium, & militum innumera multitudine ad Regiam tenderet civitatem, juſſu miſericordiſſimi, & omnipotèntis DEI, qui diſſipat, ac reprobat cogitationes, vel conſilia Principum, non ex ſuo procedentia, profluvio ventris extinctus eſt. Quis jam credat fœminam quadraginta annorum (tot enim ad an. MCXXV, quo nuptiæ Stephani ſigi ſolent, etiam poſthumam habuiſſe neceſſe eſt) a Proceribus juveni Regi obtrudendam fuiſſe, & quidem eo fine, quem Thuroczius aſſignat? Aliæ vero, ſi quæ viduæ adhuc vixerant, longe majorem ætatem tum habuerunt. Exiſtimo vero eundem Thuroczium alicubi legiſſe, Normannam quandam Regi Hungarorum fuiſſe nuptam; unde filio Stephano dedit, quod Colomano patri dandum fuiſſet; & Robertum Guiſcardum, velut notiorem cæteris, patrem conjeciſſe.

ADELAIS
STEPHANI II. SECUNDA CONJUX.

Hungaris Scriptoribus, quod ſciam, penitus ignota, an neglecta, quod occupato per Roberti Guiſcardi filiam Stephani thoro, neſcirent, cui Regi collocari potuiſſet. At Apulam illam inter fabulas amandandam jam demonſtravi. Pater hujus Henricus Landgravius de Stephaning (communiter de Stephling) Comes de Rietenburg Burggravius Ratisponenſis, mater Richardis Divi Leopoldi Auſtriæ Marchionis ſoror. Pater tamen Hungariæ olim notior fuit. Attamen is diu ante nuptias filiæ in Paleſtina obiit. (1) Ottonis igitur fratris ſollicitudini, quidquid erat, debuit. Venit Adelais in matrimonium Stephani ſub an. MCXXV. Verum ab eo improlis abiit. Marito an. MCXXXI. (2) defuncto in patriam reverſa, poſtque annum MCXLIII. mortua illata eſt tumulo in Clauſtro Wallerbachenſi, quod frater Otto dicto anno (3) Ciſtercienſi Ordini dicavit: ubi etiam magna pars fa-

---

1) Urſperg. *Bernhardus Comes, & Heinricus Comes Ratisponenſis Hieroſolymæ obierunt.*

2) Joan. Staindelius p. 490. ad h. a. *Stephanus II. Rex Ungariæ obiit anno regni eius XVIII. cui ſucceſſit Bela II. cæcus filius Ducis Almi cæci.*

3) Extabat Wallerbachi tabula lignea cum ſequenti inſcriptione: *Nach der Geburdt Jeſu Chriſti, als man zelt 1143. hat der hochgeborn Herr Otto Landtgraff von Steffing, Burgraff zu Regenſpurg, und Herr von Riedenburg, geborn von königlichen Stammen, angefangen das Stifft Wallerbach, darin er und ſein hausfrau Adelheit, und Heinrich, und Friederich ſeine Söhn, auch ſeine Schweſter Adelhaidt ein Königin von Ungern begraben ſint.* Suas tamen difficultates habet hæc tabula: Ottonem enim in atrio

familiæ jacet, cujus teſtis eſt ſequens inſcriptio in choro ad ſiniſtrum latus exiſtens. (4)

Hoc in Sarcophago pauſat generoſa propago
De Stephning Comitum, tegit hoc marmorque politum,
Quorum Progenitor fertur Landravius Otto.
Fit genitus genitor genitis Fridericus in octo.
Otto Comes victu Monachos ſectans & amictu,
Mundum cum flore ſprevit virtutis amore.
Nobilis Ungariæ Regina ſoror fuit horum,
Reddita quæ patriæ jacet hic in ſorte ſuorum.

Cæterum res horum Comitum magna adhuc luce indigent. Secundum Hundium (5) & Falckenſteinium (6) hos ei avos ſignare poſſumus.

atrio S. Emerami Ratisbonæ ſepultum appenſa ibidem marmorea tabula teſtatur: *Otto Comes de Stephling & de Rietenburg, & Burggravius Ratisbonenſis fundator monaſterii Walderpach eſt hic ſub ianua ſepultus.* Fridericus filius mortuus & ſepultus in Paleſtina teſte Bernardo Theſaurario: *Mortuus tunc fuit in Comitatu Regis Vir clariſſimus Fridericus Ratisbonenſis Eccleſiæ advocatus, & ad urbem ſanctam deportatus & in cœmeterio militum templi non longe ab antiquo templo Domini ſepultus,* Tandem tabulam hanc recentioris operis teſtatur præter inſigne Auſtriacum faſciæ albæ, alterum Hungariæ crux innixa tribus collibus, qui non niſi Ludovico imperante additi ſunt, ut ſigilla Caroli, & Ludovici oſtenduut. Adelhaidis tamen Hungaricum matrimonium teſtantur Manriquez, aliique Ciſtercienſium rerum ſcriptores.

4) Duellii Excerpta Geneal. p. 308.

5) In Metropoli T. III. p. 170. & Bayriſches Stammenbuch P. I. p. 122. ex Aventini Epitome, qui ait nihil inveniri in Chron. Veteri S. Haimerani Ratisb.

6) Antiquitates Nordgav. T. II. p. 370.

Robertus
Landgr. Steph. } Henricus.
Wiltrudis.

Leopoldus pulch.
March. Auſtri. } Richardis. } Adelhais.
Itha.

Rex autem Stephanus meliore eſt elogio dignus, qui non niſi coactus bella ſuſceperit, pacemque datam ſancte coluit. Ille pacem Conrado Salisburgenſi petenti annuit, captivos reddidit, tutamque ſervavit; quin ut exuſta S. Ruperti Eccleſia reſtitueretur, plurimum ſponte ſua contribuit. (7)

---

7) Vide Hanſiz T. II. p. 223. 224. 225.

Ano-

Anonyma.

BELÆ II. CÆCI PRIMA CONJUX.

Fortaſſis præter omnium antiquorum teſtimonia videbitur, ut Belæ II. duas tribuam Conjuges. Ita vero filiorum res conſideranti apparet neceſſarium, ne plura abſurda concedenda ſint, aut fides Thuroczio tollenda; quamvis in hoc ab eo recedendum ſit, ut Belam oculis orbatum non infantili in ætate ſed prope adoleſcentem concedamus. Agens enim in exilio Conjugem ſumpſit patria, ut exiſtimo, Macedonicam. Neque aliud de ea dicere poſſum, niſi genitum ex ea Geyſam filium, qui ad adoleſcentiam cum perveniſſet, ſumpta Conjuge, genitoque ex ea uno alterove filio, antequam pater ſub an. MCXXVIII. revocaretur, aut paulo poſtea deceſſit. Mater certe, antequam vir repeteretur, e vivis abiit. Filii nomen, nepotisque diſerte ex Cinnamo diſcimus, qui hunc Stephanum Geyſæ filium (1) & Stephani alterius, Belæ ex Helena filii nepotem ex fratre (2) appellat. Is cum adoleviſſet primus ad Græcos ſponte ſua tranſivit. Non putem tamen me erraturum ſi Geyſæ alterum adhuc filium Geyſam tribuam, qui deinde patre Geyſa imperante *Ducis* titulum geſſit. (3)

HE-

---

1) Στέφανον τοῦ Γαίζα παίδα.

2) Ita quidem is lib. V. n. XII. p. 130. Manuelem Stephano locutum refert: *Eſt tibi ex fratre nepos Stephanus adeo vultu, & lineamentis tibi ſimilis, ut niſi attente admodum vos intuentibus haud facile ſit alterum ab altero diſcernere.*

3) Apud Kercſelichium in notitia præliminari. p. 158. diploma an. MCLVIII. datum (ex Farlati T. III.) incipit: *Ego Geyſa Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Dux.* Et ne putetur error ſcriptoris, etiam ſigillum *Ducis* titulum exhibere dicitur.

HELENA

BELÆ II. CÆCI CONJUX ALTERA.

Filia Uri magni Comitis in Servia, ſoror Primislavi, Beli ſeu Beluſii & Deſſæ Serviæ Principum, Belæ adhuc exuli in matrimonium data eſt, contra ac Thuroczius (1) aliique ſub an. MCXXXVIII. paucis ſcilicet ante mortem Stephani II. Regis annis id factum referunt. Cum enim Belæ hujus nepos Stephanus an. MCLXII. Stephano patruo ita jam fuerit (2) ſimilis, ut ab iſto dignoſci difficulter potuerit, adeoque haud multum etiam minor ætate fuiſſe dicendus ſit, nativitatem patris ejus, & quod ſequitur, conjugium Helenæ ante revocationem Belæ ſtatuamus oportet; niſi velimus aliam eidem prius fuiſſe Conjugem. Quin & illud mihi fidem ſuperat, Stephanum non antea ſaltem Belæ ſuperſtitis notitiam habuiſſe, qui Almum vivere ſciret, & Adelhaidem Belæ ſororem an. MCXXIV. e Bohemia profugam (3) recepiſſet. Helena

---

1) P. II. Cap. LXIII. ſcilicet a morte Almi, quæ hoc anno contigit.

2) Ita quidem Cinnamus lib. V. n. XII. p. 130. Manualem Stephano locutum refert: *Eſt tibi ex fratre nepos Stephanus adeo vultu & lineamentis tibi ſimilis, ut niſi attente admodum vos intuentibus haud facile ſit alterum ab altero diſcernere*: unde etiam accidiſſe narrat, ut, cum pro Stephano eodem copias duceret, a ſuis ipſis Hungaris, quos duxerat, pro Stephano illo habitus, & Stephano Regi traditus fuerit.

3) Annaliſta Saxo (T. I. Eccarti col. 653.) ad an. MCXXIII. *Sobezlau .... fugiens adiit Imperatorem in urbe Mogontia, ſed infecta cauſa tendit ad Wicbertum Comitem, & apud eum manſit per VII. menſes, & poſt hæc pertranſiit in Poloniam ad Ducem Bolezlaum; Coniugem autem eius Almi Ducis natam Stephanus Rex Pannonicus gratanter recepit, cognoſcens cognatam ſuam.*

na quidem cum marito ſuo Regium Hungariæ thronum an. MCXXXI. conſcendit, talemque ſe geſſit, ut non obſcure magnam regiminis partem in ſe derivaſſe videatur, nec oblita ſuorum, nec calamitatis præteritæ. Belum fratrem ſuum cum filiis ſuis in aula educavit; quo factum eſt, ut Geyſa eum proſequi cœperit amore ſingulari, & multis gratiis, cum poſtea regnum teneret, conteſtato; hic vero modis, quibus poſſet illius commoda (4) promovere videretur, uſque dum fratres ipſos, Geyſam videlicet & Stephanum invicem crederetur (5) concitaſſe. Viri cæcitatem animoſa mulier tulit ægerrime, nec niſi acerrima vindicta ſumpta, quod diu coxerat, quievit. *Regina Helena*, verbis Thuroczy (6) exprimo, *habito conſilio Regis & Baronum, fecit congregationem generalem in regno juxta Arad. Illa igitur die dictæ congregationis, dum Rex ſediſſet ſuper ſolium regni ſui, venit Regina cum filiis ſuis, & ſedit circa Regem. Dixit autem ad populum univerſum: Omnes fideles, nobiles, ſenes, &*

4) Cinnamus Lib. III. cap. VII. p. 60. *Erat apud Dalmatas quidam, cuius nomen quale fuerit ignoro, fratrem autem habebat Belſim: ambo clari erant apud ſuos: hic uxorem duxerat ſororem Archizupani. Cum vero utroque oculo orbatus eſſet (quo caſu mihi plane incompertum) in Pannoniam ſe recepit. Longo hic tempore commoratus maximo in honore fuit, ut qui a pueris cum illo enutritus fuerat, & educatus. Ea propter quo Geyzæ gratias rependeret, Dalmatiam illi beneficii iure obnoxiam facere eſt annixus, idque conſiliis & adhortationibus homini tandem perſuaſit.* De cæcitate Beli nemo, quod ſciam, alius; videtur autem Cinnamus id a Bela Rege hoc in iſtum transtuliſſe.

5) Guntherus in Ligurino Lib. VI. v. 405. de Geyſa Rege:

Huic ſatis in teneris adoleſcens ſtrenuus annis
Frater erat Stephanus, quem Rex ad culmina regni
Aſpirare dolo, Bela ſuaſore, ferebat.

6) P. II. Cap. LXIV.

juvenes, divites, ac pauperes audite: cum unicuique veſtrum DEUS viſum dederit naturalem, volo audire, cur Dominus noſter Rex ſuis oculis ſit privatus, & quorum conſilio hoc ſit actum? Modo mihi propalate, & eos fideliter in hoc loco vindicantes, nobis de ipſis finem date. Ecce enim DEUS Regi veſtro pro duobus oculis dedit filios quatuor. Facta igitur hac voce, irruit omnis populus ſuper illos Barones, quorum conſilio Rex obcæcatus fuerat, & quosdam ex ipſis ligaverunt, quosdam vero detruncaverunt: ſexaginta autem & octo profanos, ibidem crudeliter occiderunt; & omnes ſucceſſores eorum tam viri, quam fœminæ, eodem die ſunt regiſtrati. Inſuper omnis illorum poſſeſſio Eccleſiis cathedralibus eſt diviſa. Filii quatuor hic memorati ſunt Geyſa, Ladislaus, (7) Stephanus, & Almus, quorum tres priores Regiam Hungariæ coronam tulerunt, ultimus præmaturo fato ereptus dicitur, de quorum tamen genituræ ordine merito dubites, an Almus poſtremus, & non primus fuerit natus, ob relatum ſupra Belæ nepotem; niſi dicamus alium hos præceſſiſſe, ex quo ille genitus fuerit. Filiæ duæ notæ ſunt: Gertrudis Mieceslao Polono an. MCXLIX. Conjux data, & an. MCLVI. defuncta. (8) Sophia primum an MCXXXVIII. (9) Sponſa Henrico Conradi Imp. filio deſtinata, eo ante nuptiarum

---

7) Geyſa ante aditum thronum mortuus. Ejus filius Stephanus primus Hungarorum Principum ad Græcos defecit, & contra Hungaros militavit. Cinnamus habet Στέφανον τὸν Ιατζᾶ παῖδα. Stephanum Geyſæ filium.

Ladislaum filium Boznenſem Ducem conſtituit: *In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis: Notum ſit omnibus ſanctæ DEI Eccleſiæ cultoribus tam Clericis, quam Laicis, quod Rex Bela Inclytus in Conventu Strigonienſi, ubi filio ſuo Ladislao communi Regni Concilio Boznenſem Ducatum dedit.* Cod. Dipl. Pez. P. I. col. 355.

8) Hennelius p. 235. Tom. I. Script. Sileſ. Sommersbergii. Conf. Chron. Pol. T. I. p. 7.

9) Auctor incertus Chron. Auſtr. (T. I. Script. rer. Auſtr. Pezy col. 557.) ad annum

rum celebrationem mortuo, in Admontenſi Virginum ſacrarum cœnobio, quod dum adoleſceret, incolere cœperat, ſpretis mundanis gaudiis, & honoribus perpetuam ſedem elegit (10) ſoli DEO ſervitura. Quamvis autem Seyfridus etiam Gertrudem excluſerit, ut juſtiorem patris dolorem exprimeret, ſi unicam filiam ſuam Sophiam deploraret, alii tamen alias adhuc commemorant, quas omnino concedere non poſſis. Huebnerus (11) Hedwigem Adalberti Auſtriæ Marchionis Conjugem Belæ filiam facit, quæ vero hujus ſoror & Almi filia fuit. (12) Sigismundus Ferrarius (13) Helenam Belæ cæci filiam narrat Egmundenſe cœnobium cuſtodiæ ſuæ gratia ingreſſam, deinde DEO inſpirante, ipſum inſtitutum monaſticum fuiſſe amplexam. Verum hæc ipſa Helenæ acta errorem in nomine detegunt, ut Ferrarius Sophiam pro Helena dicere debuiſſet. Quid autem de Adelaide & Conſtantia per alios celebratis? Hanc inter filias nepotis Belæ III. reperies: illam ſupra Almi filiam indicavi. Sed ad Reginam noſtram revertamur. Ipſa ſicut viri cæ-

---

num MCXXXVIII. *Filia Regis Ungarorum Belæ deſponſata eſt filio Regis Romanorum.* Conf. Anonym. Leobienſ. col. 581. Chron. Clauſtroneoburg. col. 445. Chron. Zwetl. vetuſtius col. 522.

10) Acta SS. T. I. Julii in Vita S. Ottonis Babenberg. Ep. p. 421. Conf. Chron. Admont. T. II. Script. Auſt. col. 187. 188.

11) Tab. Genealog. 123.

12) Otto Friſing. in Chron. Lib. VII. cap. XXI. *Bela Rex mox aſcito ſibi Alberto Leopoldi Marchionis filio, qui eius ſororem habuerat, ac quibusdam de regno noſtro nobilibus, Bovitio occurrit.* Excerptum Rikardianum apud Hanthalerum in faſtis Campilil. T. I. P. II. *Uxorem habuit Hatwigem filiam Almi Ungarorum Ducis, ſororem Belæ cæci Regis, quam duxit an. MCXXXII.* Conf. Tab. Clauſtroneoburg. T. I. Pezii col. 1013, & 1037. & Arenpeck Chron. Auſtr. col. 1194. ibid.

13) P. II. Lib. II. Cap. IV. Provinciæ Hung. Ord. Prad. p. 223.

citatem ulta eſt, ita piis ſoceri Almi manibus ſatisfactura conſenſit, ut Præpoſitura Demeſienſis olim ab hoc cœpta compleretur & firmaretur an. MCXXXVIII. (14) Porro paulo poſt ab hoc actu videtur Helena vita exceſſiſſe, ſi ex Seyfrido conjecturam ſumere licet; is enim in traditione Sophiæ ne verbo matris meminit, quam tamen ſi dolentem quoque retuliſſet, multum meditatæ ſuæ affectuum expreſſioni commodaſſet. Debet tamen Helena filiæ ſuæ, ut in Necrologio ejusdem cœnobii (15) adhuc legatur: *VII. Kal. Junii: Helena Regina.* Bela Conjugem in tumulum ſecutus eſt anno MCXLI. (16) *Idibus Februarii, feria quinta.* (17) Geyſa filius

&

---

14) Pars diplomatis huc faciens eſt: *In nomine S. Trinitatis, & individuæ Unitatis, regnante Domino noſtro JESU Chriſto. Anno autem glorioſiſſimæ Incarnationis milleſimo centeſimo trigeſimo octavo, indictione I. epact. XVIII. regnante vero ſereniſſimo & victorioſiſſimo Rege Bela II. bonæ memoriæ Almi Ducis filio, cum Helena Regina clementiſſima, anno autem regni ſeptimo. Feliciano autem ſanctæ Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Paulo S. Demeſienſis Eccleſiæ Præpoſito. Fouſol filio . . . . comite Georgio filio Cronik curiæ Regalis officia diſponente. Zaſlide Albenſis Civitatis comite. Idem Bela Rex piiſſimus, cum Helena Regina nihilo minus piiſſima & cum prænotatis Nobilibus, & compluribus Epiſcopis, & Comitibus, & multis Regni ſui Optimatibus, providenter & ſatis prudenter interius & exterius ordinavit Eccleſiam Demeſienſem, quam pater ſuus, piæ memoriæ Almus Dux ad laudem Domini noſtri JESU Chriſti ſub titulo B. Virginis, & Martyris Margarithæ fabricaverat quidem, ſed multis adverſitatibus ſuam voluntatem bonam præpedientibus, invitus inordinatam reliquerat. Igitur hæ ſunt metales, quas Almus Dux. &c.*

15) Tom. II. Script. Auſtr. Pezii col. 203.

16) Geyſa filius hinc annos regni computat. Dubium moveri poſſet ex Continuatore Coſmæ Pragenſis referente: *MCXLI. Puer Vladislaus ipſo feſto die (Natalis Domini) dum nox occupaverat totum mundum, iniit fugam ad avunculum ſuum nomine Bela, qui tunc regnabat in Ungaria. Bela Rex Ungarorum obiit, & noſtra-*

tes

& ſucceſſor utriusque parentis ſui cauſa Eccleſiam Strigonienſem beneficiis (18) proſecutus eſt.

---

tes profugi ſubmiſſis capitibus doluerunt. Ex quo ſequeretur eum anno MCXLII mortuum eſſe. Verum hic author annum a Nativitate Domini inchoat.

17) Necrolog. cit. col. 200. menſe Februario habet: *Idus . . . . Bel Rex* Thurocz. P. II. Cap. LXIV.

18) Initium diplomatis huc pertinens eſt: *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis & individuæ Unitatis. Amen. Anno ab incarnatione Domini noſtri JESU Chriſti milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo, indictione quinta, I. Epact. VII. menſis Martii. Ego Geyſa Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex. Anno regni mei decimo ſeptimo, Martirio Archiepiſcopo Strigonienſi ſedi præſidente, Belo Palatino exiſtente, pro animæ meæ remedio, & pro ſalute animarum Matris, & Patris mei ſales tributarios de Nana, & de Kokàt, quotcunque in partem meam evenerint, Eccleſiæ S. Adalberti, interveniente Geurinenſi Epiſcopo, & eodem etiam verbo tribuente, perpetuo conceſſi. Ne autem &c.*

Soror quoque haud dubie in Hungaria educata inde Conrado Znoymenſi *in ſponſam tradita fuit. Cont. Coſmæ Prag. ad an. MCXXXIIII. p. 21. Interea Dux Sobieslaus Levirum ſuum Regem Ungarorum rogabat, quatenus ſororem Coniugis ſuæ videlicet Reginæ, Principi Conrado Znoymenſi in coniugium traderet, quo percuſſum fœdus invicem huiusmodi cauſis corroboratum firmius perduraret; qua deſponſata &c.*

Idem ad an. MCXXXIX. p. 35. *Eodem tempore Dux Sobieslaus Levirum ſuum Belam Regem Pannoniæ convenit; nam idem Rex Bela filiam ſuam filio Regis Theutonicorum Conradi tradebat. Hæ nuptiæ in feſto Pentecoſten celebratæ ſunt.*

Joan. Staindelius p. 491. ad h. a. *Bela cæcus Rex Hungariæ obiit Idibus Febr. anno regni eius IX. menſe XI. die XII. cui ſucceſſit Geyſa II. Filius primogenitus eiusdem Belæ.*

EUPHROSINA
GEYSÆ II. UXOR.

Minoslai Ruthenorum Ducis filia in Geyſæ II. Regis thalamum venit ſub an. MCXLVI. quo hic militari primum accinctus gladio, (1) poſita pueritia, adverſus Auſtriacos felix bellum geſſit. Id ex more ævi illius erat, ut non ante aſſumptum baltheum connubia (2) inirentur. Serius, qui hoc matrimonium coaluiſſe putant, certo errant, cum jam anno ſequenti menſe Julio natum ex ea ſciamus filium, cujus Patrem ſpiritualem, dum ſacro fonte initiaretur, Ludovicum VII. Franciæ Regem tum cum exercitu ſacro per Hungaricas terras profectum fuiſſe (3) Thuroczius teſtatur. Firmato hac fœcunditate amore Conjugis animum ſic ſibi Euphroſina devinxit, ut is ipſius gratia Minoslao ſocero contra Vladimirum Haliciæ Principem iterato ſumma conſtantia adſtiterit, nihil veritus concitatum in ſe Manuelem Græcorum Imperatorem, qui fœderatum ſibi Vladimirum ul-

---

1) Otto Friſing. de rebus geſtis Frid. I. Imp. Lib. I. cap. XXXII. *Altera die Rex in prædicto campo ad quandam ligneam Eccleſiam accedit; nam eo uſque in puerilibus annis poſitus, nondum militem induerat, accepta ſacerdotali benedictione ad hæc inſtituta, armis accingitur.*

2) Conf. infra not. 5.

3) P. II. cap. LXVI. *Cæſaris præceſſum egregius Rex Francorum venerabiliter, &, ut decet Chriſti militem peregrinum, ſuſcecutus a Rege Geyſa honorabiliter ſuſceptus eſt; apud quem aliquamdiu commoratus, compaternitatis vinculo Regi Geyſæ ſociatur,*

ultum (4) ibat. Id unum felicitati huic, quod rebus ſummis plerumque evenire ſolet, defuit, non fuiſſe diuturna hæc Regios inter Conjuges fœdera, quæ an. MCLXI. pridie Kalendas Junii (5) ſublato Geyſa mors disrupit. Excepere inde viduam aliquamdiu triſtia ſatis fata. Filius Stephanus parvulus (6) regni hæres matrisque ſuæ amantiſſimus ſimul & venerantiſſimus (7) a patruis Stephano, & Ladislao ex avito throno dejectus fere exul: alter filius Bela ſubinde pacis cauſa in Græciam dimiſſus, neque tamen pax firmiter conſtituta, quin novis Manuelis prætenſionibus laceſſita. Euphroſina conſiderata domeſticorum ſubſidiorum infirmitate novo ſe fœdere cum Vladislao Bohemorum Rege Progenero ſuo unit, filiamque alteram alteri ejus filio Swatopluco collocat. Hujus ope, qui ipſe auxiliares copias adduxerat, (8) Manuelis vires ſic attritæ ſunt, ut novas pacis leges admit-

---

4) Thurocz. cap. LXVI.

5) Joan. Staindelius ad h. a. p. 491. *Geyſa Rex Hungariæ obiit II. Kal. Junii, poſtquam regnavit annis XX. menſibus III. diebus XV. cui ſucceſſit Stephanus III. eiusdem filius.* Thurocz. Loc. cit. *Migravit autem ad Dominum MCLXI. pridie Kalendas Junii feria quarta.* Ad eandem diem habet Necrolog. Admontenſe col. 204. *Kautſe Rex Ungarorum.*

6) Chron. incerti auth. col. 559. *MCLXIV. Diſſidentibus inter ſe fratribus Geizi & filio eius parvulo.*

7) Is diploma (apud Farlati Tom. III. p. 184.) an. MCLXIII. datum ſic orditur. *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Stephanus Domini Regis Geyzæ filius Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Chroatiæ, Ramæque Rex una cum Domina Regina Matre mea, & Principibus meis.*

8) Chron. S. Vincentii p. 75. *Anno Dominicæ incarnationis MCLXIV. Ungari fi-*

li-

mitteret, & Stephano regnum ſalvum permaneret. Reduci Bohemo, quamvis ille oblatis ſuæ neptis cum Imperatoris nepote nuptiis remiſſius egiſſe videatur, Euphroſina copioſis, & eximiis donis (9) ſe gratam præſtitit. Ungaria aliquantiſper quieti ſuæ reddita, poſitisque armis pietatis operibus colendis ſe impendit, & non modo inchoatum a Martyrio Strigonienſi Archiepiſcopo, ſed morte ejus an. MCLXI. V. Kal. Maii intercedente abruptum ædificium templi S. Stephani Albæ Regali Cruciferorum Equitum uſui deſtinati abſolvit impenſis ſuis, verum etiam ampliſſimis donis & poſſeſſionibus ditavit. (10) Stephano poſt decennale varia fortuna geſtum imperium defuncto, Belæ alteri filio regnum obtinenti ſic ſe probavit,

---

lium Regis Deviæ (Geyzæ) *parvulum ſibi Regem conſtituunt, & Regem Bohemiæ Wladislaum rogant, ut eis veniat auxilio, quod eis Rex promittit fideliter, & ad maiorem inter ſe confirmandam concordiam alteram filiam Reginæ filio ſuo Swatopluco ſumit in Coniugem, & plurimis ſuis inter ſe datis muneribus ad propria redeunt. Talia dum geruntur, Imperator Græciæ cum Stephano & parvulo fratre Regis novelli Ungariam intrant cum exercitibus plurimis & fortiſſimis. Regina cum filiolo Rege novello hæc audiens ad Regem Bohemiæ nuncios miſit, ut in tanta neceſſitate ei, & filio ſuo armis ſubveniat, rogans, quod ſi non ſit, regnum Hungariæ ſe amiſiſſe dicit. Hæc Rex audiens in perſona eis auxilium ferre promittit; nuntii læti hæc Reginæ, & Hungaris referunt; non ſit mora &c.*

9) Ibidem p. 76. *His ita diſpoſitis Rex Bohemiæ cum Rege Hungariæ ad Reginam Matrem Regis læti redeunt, ubi tam a Rege, quam a Regina matre eius & Hungaris diverſis & innumerabilibus donatus muneribus. Quot & quales paleſridi ei dati fuerint, ſcribere ſuperfluum duximus; etenim pauperis eſt numerare pecus; vaſa namque auri, & argenti pondera, veſtes, pallia diverſi generis non niſi in plauſtris ducebantur.*

10) Schmitth. in Archiepp. Strigon.

vit, ut is multa in ipſius gratiam faceret, & etiam conſiliis eam adhiberet, præcipue ubi de ſacris (11) agebatur; quo ſane ulterius nobis Euphroſinæ religio conteſtata redditur. Ipſa tamen finem in extrema ſenectute corrupit. Cum enim Geyzæ filio perfida in Auſtriam & Bohemiam ſeceſſione res novas molienti, plusquam ex regni & nepotum utilitate eſſet, faveret, captiva primum in Bronz detenta, & tandem an. MCLXXXVII. in exilium Belæ ipſius filii juſſu deportata (12) fuit,

P

11) Ita concludit Bela ſuum ſuper reſtitutis beneficiorum rebus diploma: *Hæc autem omnia de conſilio glorioſæ Reginæ Matris noſtræ, & Archiepiſcoporum, Epiſcoporum omnium, Electorum, Præpoſitorum Regalium, atque Abbatum, Comitum omnium, & aliorum Principum ſtabilita, ac firmiter corroborata noſcantur. Actum in civitate W. anno milleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo nono.* Vide Kollar de jure Patronatus p. 120.

12) Chron. MS. MCLXXXV. *Dux Geyza exiens Ungariam cum Laurentio Comite, & multis aliis intravit Hauſtriam, & ſoror eius nupſit in Græcia. Mater vero eius tenetur captiva in Bronz. MCLXXXVII. Dux Geyza tranſivit de Hauſtria in Boemiam. Unde a Rege fratre ſuo reductus eſt in Ungariam. Wata Comes cæcatur. Stephanus Colocienſis Epiſcopus deponitur. Eodem tempore mater Regis in exilium in Græciam mittitur.* At vero quæ hæc ſoror? An fortaſſis latiori ſenſu acceptum ſororis nomen, neptem ex fratre exprimit? Talem quidem eo, aut ſequent anno Iſaacio Imperatori nupſiſſe infra videbimus. At vero alia adhuc Geyſæ & Euphroſinæ filia nobis ignota cuidam e Græca Imperatoria familia data fuit?

At dubium omne authoris tollunt literæ donationis Eliſabethæ, filiæ hujus Euphroſinæ, quibus ſe multum munificam probat erga Illuſtrem Ordinem Joannitarum. Porro in his Literis an. MCLXXXVI. datis Eliſabetha aſſerit, matrem ſuam Euphroſinam habitum hujus Ordinis ſuſcepiſſe, videturque loqui de ea, velut quæ tum jam fatis ceſſerit. Unde ruunt omnia, quæ ex illo chroni-

co

fuit, deportata an ad ſuos remiſſa? Hominum certe memoria ita exceſſit, ut nihil de morte ejus ſciatur. Bela fundationem ejus Albenſem an. MCXCV.

---

co MS. neſcio quo (nam nec loci, nec perſonæ nomen præfefert) author depromſit, ut nihil dicam de implexionibus, quas idem author bene vidit, & quibus fortaſſis adhuc plures videri poſſent. Nec mirum etiam, quod de exitu vitæ ejus nihil ſit compertum, cum latere voluerit. Literæ autem memoratæ, quas Reverendiſſimus ac Perilluſtris Dominus Franciſcus Paulus de Smitmer, Illuſtris Ordinis Melitenſium Commendatarius, ac Eccleſiæ Metropolitanæ Viennenſis ad S. Stephanum Canonicus editori communicavit, ita habent.

„Anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXVI. Ego Eliſabeth Ducis Bo„hemie Friderici uxor ſequens veſtigia Euroſine matris mee, quæ domum Ho„ſpitalis Hieroſolymitani ſemper dilexit, & promovit, in qua & habitum Re„ligionis poſtmodum ſuſcepit, eandem domum amare, & ampliare pro modulo „meo cepi, & de his que in Principatu meo poſſedi, quedam eidem domui con„ſenſu viri mei largita ſum, ſcilicet Eccleſiam, quam edificavi in loco, ubi „triumphavit vir meus, & terram circa ad aratrum unum, & villam, que vo„catur Teincz cum ſylva, quæ ſuper Albiam jacet, ei pertinente. Et aliam „villam, que vocatur Ledcy in Provincia, que vocatur Brutouv, & tertiam „villam que vocatur Netribiz, & quasdam terras in villa, que vocatur „Breza juxta Stetin. Que omnia ut rata & inconcuſſa permanerent, vir meus „figilli ſui impreſſione confirmavit, & ego meo, & frater meus Henricus „Pragenſis Epiſcopus iſtam donationem ſub excommunicatione poſuit.„

Harum originales ex teſtimonio illuſtris ac eruditi Viri nunc laudati cuſtodiuntur in archivo domeſtico ſui Ordinis Pragæ. Earum mentionem jam etiam nuper fecerat Clariſſ. Dobnerus e Scholis piis in *Monumentis hiſtoricis Boemiæ*. Tom. III. p. 28* quas ſe oculis ſuis uſurpaſſe teſtatur. Ex his poſtea plura in rem ſuam colligit. Quod autem Eliſabetha Henricum Epiſcopum Pragenſem *fratrem ſuum* appellet, facit id more Magnatum, quo ſuos amicos *fratres* aut *nepotes* appellare conſueverunt. Erat enim Henricus iſte filius Henrici Ducis Moraviæ filii Wladislai-

MCXCV. (13) Regio diplomate firmavit; attamen a *Reginæ* nomine conſueto abſtinuit, neque alia quapiam peculiari honoris teſtificatione, niſi *Dominæ Matris* appellatione eam inſignivit. Præter Stephanum, & Belam, quos regnantes vidit, & Geyzam ſupremæ infelicitatis cauſam filios adhuc ei alios fuiſſe ex Innocentii III. ad Emericum nepotem literis (14) docemur. Ex his Ar-

13) Initium diplomatis eſt: *In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, & individuæ Unitatis Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Crootiæ, Ramæque Rex in perpetuum. Quoniam ſcrupulus quæſtionis raro, aut nunquam provenit, & exurgit, cum titulus poſſeſſionis authentici ſcripti beneficio poſteritatis memoriæ commendatur: ex officio Regiæ Celſitudinis iuſtitiæ limitibus adhærentes, piaque devotione provocati, quam erga Domum Hoſpitalis Jeruſalem gerimus, & habemus, dignum duximus ab ipſis exordiri principiis, qualiter Eccleſia beati Regis Stephani de Alba in dominium præfatæ Domus Hoſpitalis fuerit devoluta. Martirius vir honeſtatis eximiæ Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus primus in præfata Eccleſia lapides poſuit, & eam ad medietatem uſque perduxit, ſed morte præventus conſummare non potuit. Tandem Domina Mater noſtra inſtinctu divinæ inſpirationis accenſa pro remedio animæ ſuæ, & pro anima mariti ſui Patris noſtri, piæ memoriæ, Regis Geyſæ, & pro ſalute noſtra præfatum monaſterium opere deſiderato complevit, & variis poſſeſſionibus copioſius dotatum & ditatum, ob religionem & honeſtatem ipſius Domui Hoſpitalis perpetuis temporibus contulit poſſidendum Hæc igitur ſunt nomina prædiorum, quæ a Domina Matre noſtra præfato monaſterio ſunt collata.*

14) Raynaldus ad an. MCCIV. refert Pontificem hunc ſcripſiſſe Emerico: *Verum illud Hungaros, ac Pontifices Romanos præcipuo amoris nexu fuiſſe coniunctos, nec tamen amorem illum intepeſcere videri debuiſſe, cum ipſius Pater Alexandri iuſſu a Colocenſi Archiepiſcopo corona fuiſſet redimitus, quo tempore maximas illius adipiſcendæ difficultates pateretur, quin & circa regni primordia cum bello graviore appeteretur Sedis Apoſtolicæ cura ad pacem atque officium fratres ipſius ac ſequaces adductos fuiſſe*

padum (15) & Guthardum (16) multorum annorum carcere ambiti throni crimen expiare juſſum ſatis certos teſtes habemus; tanto minus placent Almus & Ludovicus ex Antonii Bonfinii neſcio quo loco (17) producti. Filiæ tres memorantur: Helena jam in tenera ætate Leopoldo Auſtriæ Duci promiſſa, tandem an. MCLXXIV. in Conjugem tradita, & an. MCXCIX. (18) defuncta; Eliſabetha (19) Friderico Bohemiæ Duci nupta vario fortunæ luſu

---

15) Nominatur a Zacharia Moſſoczio Nitrienſi Epiſcopo in vitis Regum juri Patrio præfixis. Quatuor hi nominantur in Chron. Croat. ad an. MCLXI *Jmel ie Chetiri Szine: Steffana, Bela, Arpada, i Geyza. p. 159.*

16) Albericus in Chron. p. 347. Arnoldus Lubec. Lib. I. cap. XXXIX.

17) Referuntur a Prayo velut ex Bonfinio; attamen nihil de illis Dec. II. Lib. VI. & VII. ubi geſta Geyſæ, Stephani. & Belæ habentur, nominatim occurrit.

18) Vitus Arenpeck in Chron. Auſtr. col. 1204. *Item anno Domini 1174. Dux Leopoldus & frater ſuus Hainricus de Medling accincti ſunt gladiis militaribus Pentecoſte. Et eodem die Duci Leopoldo deſponſata fuit Domina Helena filia ſecundi Geyſæ Regis Hungariæ, Belæ III. ſoror, quæ tamen in iuventute ſibi promiſſa fuerat* Et infra: *Domina Helena Conjunx ſua deinde diem obivit anno Domini 1199.* Conf. Chron. Mellic. p. 234. Auctor inc. chron col. 562. Tabulæ Clauſtroneoburg. col. 1018. & 1040. Chron. Auſtral. ad an. MCLXXIV.

19) Chronographus Siloenſ. ad an. MCLXXIV. LXXIX. LXXXIV. LXXXIX Narratio Altahenſis de Ducibus Bav. p. 21. *Hæc eſt origo Ottonis Ducis ex Matre. Bela Rex Ungariæ Pater Andreæ Regis, Patris ſanctæ Eliſabethæ, & Belæ Regis habuit duas ſorores, quarum unam nomine . . . . duxit Liupoldus Dux Auſtriæ, & genuit ex ea Fridericum & Liupoldum: & iſte Liupoldus genuit Henricum*

ſu exercita ; Hulicha (19) Swatopluco Bohemiæ Principi an. MCLXIV. (20) collocata. De Gertrude Mieceslai Poloniæ Principis Conjuge (21) & anonyma Conradi Moraviæ Marchionis uxore (22) prætenſis Euphroſinæ filiabus jam ſupra in Helena Geyſæ Matre egimus. Ante finem nota hanc Reginam a quibusdam appellari Hedwigem, ab aliis Sophiam ; ſed Euphroſinam appellat Innocentius IV. in Bulla qua Privilegia Cruciferorum confirmat. (23)

Saxo Grammaticus (24) vocat Belam III. filium noſtri Geyſæ II. Waldemaro I. Regi Daniæ *arcta propinquitate conjunctum* & liquet hoc ex Genealogia, quæ extat apud Ludewig (25) & ex ſubje-

---

cum, & Fridericum, qui ambo ſine filiis deceſſerunt: alteram duxit Fridericus Dux Bohemiæ frater Ottokari Regis Bohemiæ, & genuit ex ea Ludmillam, quam duxit Albertus Comes de Bogen, & genuit ex ea tres filios Liupoldum Clericum, & Bertholdum, & Albertum Comites. Mortuo autem eo dictam Ludmillam duxit Ludovicus Dux Bavariæ, & genuit ex ea Ottonem inclitum Palatinum Comitem Rheni Ducem Bawariæ.

19) Pulkava *odolam* vocat.

20) Chron. S. Vinc. ad h. a. p. 75.

21) Albizius in ſtemmatib. Principum Chriſt. Tab. XVII.

22) Henningus & Dubravius apud Prayum.

23) Schmitth. Archiepp. Strig.

24) P. 371.

25) Reliq. MSS. T. IX. p. 591.

&to ſchemate, quod deducit Langebeck (26) quodque hic ſubjicio.



26) Script Rer. Danicar. Tom. II. p. 157. Hanc notitiam grata mente in acceptis refert editor Dno Conſtantino Franciſco de Cauz S. C. M. a Conſiliis, & actuali librorum C. Reg. Cenſori.

Ano-

Anonyma.

STEPHANI III. PRIMA CONJUX.

Hieroslai Halliciæ Principis filia, quam ſibi Stephanus mox ab adito ſecundum imperio, ſcilicet an. MCLXIII. (1) impetraverat; haud tamen absque difficultate. Manuel enim Græcorum Imperator omnem movens lapidem, ut Stephanum fœderatis exueret, teterrima quæque his nuptiis ominatus eſt: *Scias igitur*, ſcribebat Hieroslao, (2) *dum filiam tuam Hungariæ Regi uxorem tradis, illam te jungere viro maligno, animoque valde inſtabili. Quando enim juſtitiæ ſeu veritatis reſpectum ullum habuit? Hominem autem, qui nec naturam nec leges reveretur, ſuoque prorſus fertur arbitrio, omnia exequi poſſe haud ægre exiſtimo. Proinde neque filiam tuam ducet Stephanus, neque aliud quidpiam legibus conſentaneum, quantum ad illum ſpectat, exequetur. Quod ſi eam ducat, vulgaris cujusdam & velut e trivio eductæ fœminæ loco habebit. Qui cum Maieſtatem noſtram tantopere offendit, & ſacramenta nuper data pro ludo habere non erubuit, cogita, quam in te humanitatem non ſit commiſſurus.* Attamen ſucceſſernnt nuptiæ, quamvis Hieroslaus aliis fortaſſis momentis deterritus ab auxilio ferendo abſtinuerit. Natus eſt ex hoc matrimonio Meriſa filius, cui humana cogitans Stephanus an. MCLXVI. (3)

---

1) Dipl. apud Farlati T. III. p. 184. *Datum per manum Stephani Cancellarii & Dominæ Reginæ Cancellarii*, niſi velis Reginam Matrem antea memoratam intelligi.

2) Cinnamus Lib. V. n. XVI. p. 136.

3) In diplomate (quod a Stephano in favorem ordinis Fratrum Hieroſolymitanorum datum an. MCLXVI. apud P. Nic. Schmitth in Epiſcopis Agrienſ. T. I. p. 92. reperitur) ad finem legitur; *Alia prædia, quamdiu vixero, ad uſum vi-*

prædia duo Nadeſch & S. Michaelis, ac medietatem prædii Sancti Georgii, alteram vero hujus medietatem Conjugi a morte ſua deſtinavit. At anno nondum effluxo tota ejusdem Conjugis felicitas momento concidit. *Henricus* enim Auſtriæ Dux ex itinere Hungarorum cauſa ſuſcepto *domum rediens, cum in Hungariam perveniſſet, Stephano perſuaſit, ut remiſſa ac pulſa Tauroſcythica puella filiam ſuam in matrimonium duceret.* (4) Quibus argumentis ſeu rationibus divortium patratum fuerit, nemo retulit. Conſideranti tamen mihi tum Henrici Ducis prædicatam omni genti pietatem, tum Stephani Regis honeſtatem, ex legibus actum fuiſſe non eſt dubium, quicquid Cinnamus partium ſtudio abreptus contrarium dicere videatur. Equidem tamdiu juſte factum eſſe præſumendum eſt, quamdiu leges violatæ non expreſſe probantur. Et fortaſſis etiam ſuperior epiſtola Cinnami ipſius opus eſt, excogitata poſt divortium, ut Manuelem, quem alias ſupra omnem fidem extollit, etiam diſertum & providum faceret. De Meriſa filio præter id, quod diximus, nihil amplius habemus.

---

vitæ meæ tenere volo: poſt deceſſum vero meum de tribus prædiis filio meo Meriſa do, dono, ſcilicet Nadeſch & prædium Sancti Michaelis, & medietatem magni prædii Sancti Georgii; aliam vero medietatem uxori meæ dedi. Idem meminit in diplomate apud Bel. T. I. p. 114. an. MCLXV. cujusdam filii ſui: *Ut inter Proceres ejusdem caſtri, Proceres filii, ſcilicet Stephani Regis exiſtant, ea videlicet cauſa, quod relictis ſuis omnibus mecum ſteterunt intrepide.*

4) Cinnamus Lib. VI. n. IV. p. 153.

A-

AGNES

STEPHANI III. SECUNDA CONJUX.

Henrici, cognomento Jaſomirgott, primi Ducis Auſtriæ & Theodoræ Græcæ (1) filia. Eam primam ipſorum prolem & ſub an. MCL. aut ſequentem natam colligas ex nuptiarum anno, qui tamen variantibus aliquantum Chronicis incertus eſſet, niſi conſtaret priorem adhuc Conjugem an. MCLXVI. ineunte in Stephani thalamo ſubſtitiſſe. Meruit vero hanc ſortem Agneti pater ſingulari in Hungariam beneficio. Miſſus enim a Friderico I. Imp. ad Manuelem Græcorum Imperatorem, quamvis pacem Hungaris non impetrarit, inducias tamen obtinuit; unde redux cum legationis acta Stephano expoſuiſſet, cœpta jam per proavum Adalbertum, confirmataque per fratrem Auſtriorum, & Hungarorum vincula arctiora, tradita ipſi in Conjugem filia (2)

1) Chron. Mellic. col. 231. *MCXLIX. Dux Heinricus filius Liupoldi Illuſtriſſimi Marchionis, vir bonus & militari virtute præcipuus ſimul adveniens filiam cuiusdam Clariſſimi Ducis, ſcilicet fratris Regis Græcorum nomine Theodoram, uxore accepta, ſecum adduxit.* Conf. Chron incerti auct. col. 558. Conrad. de Wizenberg in chron. col. 293. Tab. Clauſtroneob. col. 1194.

2) Chron. Clauſtroneob. col. 446. *MCLXV. Stephanus Rex Ungariæ duxit Uxorem Agem filiam Hainrici Ducis Auſtriæ.* Conf. chron. Auſtral. p. 446. At Chron. Admont. col. 189. *MCLXVI. Filia Heinrici Ducis Auſtriæ deſponſatur Stephano Regi Ungariæ.* Item Chron. Zwetl. vetuſtius col. 523. Denique chron. inc. auth. col. 560. *MCLXVII. Dux Auſtriæ H. & O. Palatii Comes maior in Græciam deſtinati ſine effectu, præter quod magnifice donati ſunt, revertuntur. Heinricus*

ſi-

perfecit. Neque mihi dubium, eſt ad hanc quoque nuptiarum tractationem pertinere Helenæ ſororis Stephani deſtinationem pro Leopoldi pueri, filii Henrici ſponſa, quæ demum anno poſt octavo in ejusdem matrimonium venit, ut ſupra indicavi. Sociavit inde Dux noſter genero ſuo arma ſua (3) adverſus Græcos, neque unquam deſtitit Ungaris favere. Verumtamen brevior ſpe & deſiderio vita fuit Stephano; anno enim MCLXXIII. cum gemina inſtarent gaudia, alterum ex partu proximo Conjugis adhuc improlis, alterum ex adventu Henrici Leonis Bavariæ & Saxoniæ Ducis, Friderici Marchionis de Sulzbach, Wichmanni Moguntini, Conradi Lubecenſis, & Conradi Wormatienſis Præſulum, Abbatum quoque & aliornm inſignium vetuſtæque nobilitatis virorum, quos ſocer ſuus comitabatur, ipſe ſub eorum adventum quarto nonas Martii, quæ in Dominicam diem inciderat, noctu veneno, ut putabatur, Strigonii interiit, nullis ſupremis tabulis conditis. (4) Sepelierunt eum

---

filiam ſuam Regi Ungariæ coniugio copulavit. Explicatius narrat Cinnamus Lib. VI. n. IV. p. 153. *Interea dum hæc geruntur, Auſtriæ Dux Henricus cum Uxore Theodora, Imperatoris Agnata, Sardicam venit, tum ut Fredericum Alemanorum Regem Imperatori reconciliaret, tum etiam ut belli inducias pro Hungaris expeteret . . . . . ſed ubi id Imperatori compertum eſt, Henricum quidem multa comitate excepit: eorum vero, quæ ad Fredericum ſpectabant, nihil eſt executus. Henricus autem domum rediens, cum in Hungariam perveniſſet, Stephano perſuaſit, ut remiſſa ac pulſa Tauroſcythica puella, filiam ſuam in matrimonium duceret. Quo facto Hungari non multo poſt occupare iterum Dalmatiam ſtatuerunt.*

3) Chron. Zwetl. vetuſt. ad an. MCLXVII. *Heinricus Dux Auſtriæ in Ungariam profectus in auxilium eorum contra Græcos.* Conf. Chron. Inc. auct. col. 560. ad an. MCLXIX.

4) Arnold Lubec. cap. III. hæc longum deſcribit. Diem ex Keza habemus.

eum ſui ibidem, (5) ſeu, quod verius mihi eſt, Albæ Regali. (6) At vero prægnantem Agnetem reduxit pater in Auſtriam, (7) ubi deceſſit anno incerto, & ſepulturam accepit in choro templi B. V. M. penes patrem ſuum ad Scotos, (8) quorum fundationi vix dum undenis jam olim teſtis intererat. (9) Sunt qui eam a morte Stephani iterum nupſiſſe aſſerant (10) Hermanno Ortenburgico, qui ipſam an. MCLXXXI. (11) III. Non. Oct. (12) defunctus viduam quoque reliquerit. Quin & proles addunt, quas Hermanno genuerit, Ulricum & Bernardum Duces, ac Guetam filiam Primislao Boemiæ Regi nuptam. Verum teſtes hi recentiores ſunt, ut fidem ſperare poſſint. Fortaſſis neque illa proles, quam utero geſſit, ad partus maturitatem pervenit, cum eam alii (13) dicant ſine liberis obiiſſe.

---

5) Staindelius in Chron. p. 495. Thurocz. cap. LXVIII. P. II.

6) Tabulæ Clauſtroneoburg. col. 1039.

7) Arnold. Lubec. Loc. cit.

8) Vit. Arenpeckius in chron. Auſtr. col. 1194. *Ex ea* (Theodora) *genuit duos filios Leopoldum virtuoſum, & Heinricum de Medling, & Agnetem, quæ a patre ſuo deſponſita fuit tertio Stephano Regi Hungariæ, quæ obiit ſine liberis ſepulta Viennæ apud parentes in choro Scotorum.* Conf. Tab. Clauſtroneoburg. loc. cit.

9) Lit. Fundat. Scotor. Vien. An. MCLXI. *Acta ſunt hæc coram Illuſtri Coniuge noſtra Theodora Duciſſa Auſtriæ & filiis noſtris Luipoldo & Henrico, nec non & filia noſtra Agnete*

10) Megiſerus in Ann. Carinth. Lib. VIII. cap. I. & Aventinus, quibus apud Fiſcherum Tom. III. Vindobonæ Tab. XIII. additur Martinus Polonus San-Nicolaitanus interpolatus. Laz. Lib. VI. de migr. gent. p. 168. Rittershuſ. Gen. Com. Ortenburg.

11) Chron. Admont. col. 190. *MCLXXXI. Hermannus Dux Carinthiæ obiit.*

12) Necrologium Roſacenſe MS. apud Frölichium in Archontologia Carinthiæ p. 49.

13) Clauſtroneob. Tab. loc. cit.

MARIA

STEPHANI IV. CONJUX UNICA.

Iſaacio Comneno, quem Pater Joannes Imperator Conſtantinopolitanus tertio genitum Sebaſtocratorem creaverat, genita; futura etiam præmortuis Alexio & Andronico patruis (1) Imperatoris filia; niſi Joannes moriturus Manuelem natu minimum Iſaacio ob placidam magis indolem prætuliſſet, ſucceſſoremque (2) nominaſſet. Non minus altera Mariæ dignitas evanuit, cum a Friderico II. Rom. Imp. (3) inſanis Græcorum poſtulationibus deterrito fru-

---

1) Nicetas in Joanne Comneno: *Sub idem tempus primogenitus Imperatoris filius Alexius, cui & rubrum calceum & purpuram Imperatoriam conceſſerat, vita functus eſt ex acuta febri, quæ caput tanquam arcem infeſtabat, cui ætate proximus non diutius ſuperſtes, quam ut fratris obitum deploraret, & ipſe rebus humanis eſt exemptus.*

2) Lectu dignus eſt ſermo Joannis patris hac occaſione ad ſuos dictus apud eundem Nicetam.

3) Cinnamus Lib. IV. n. I. *Fredericus . . . cum aliquando ſermonem faceret de nobilitate (quippe cum de uxore ducenda cogitaret, omnino nobiliſſimam ducere conſtituerat) audiretque Mariam Iſaaci Sebaſtocratoris filiam genere ac pulchritudine eximia præcellentem Byzantii educari, continuo captus amore virginis miſſis ad Imperatorem Legatis, eam ſibi in coniugium dari depopoſcit, omnia ſe facturum ſpondens, quæ & patruus Conradus, & ipſe, cum ex Paleſtina redirent, de reſtituenda Romanis Italia pollicitus erant. Cum eum in finem veniſſent Legati a Frederico miſſi, quæ ab eo propoſita ſunt, avide accepit Imperator; qui & viciſſim Legatos miſit ad Fredericum, ea, de quibus invicem convenirent, confirmaturos. At ubi cum illo in colloquium venere, cum*

ni-

fruſtra in ſponſam petita fuit. Tandem Stephano Geyſæ II. Hungariæ Regis fratri ſpontaneo apud Græcos exuli (4) ceſſit (5) in Conjugem, luſus fortunæ etiam poſthac futura. Prima melioris ſideris ſpes affulgebat, Geyſa leviro an. MCLXI. *Pridie Kal. Junii feria quarta* (6) defuncto. Quanquam enim Hungari mox e Geyſæ

nihil ſani advertiſſent ab homine in medium aſſerri, rebus inde infectis regreſſi Imperatori perſuadent, alteram ad Fredericum inſtituendam eſſe legationem, cujus finis erat, ut aut Fridericus pactis ſtaret, aut ipſi Italiam armis vindicare conarentur. Quæ de pactis a Friderico propoſitis afferuntur, *vana Græculi ſunt iactantia deſideria inſana ſuorum exprimentis. Alia ex Ottone Friſingenſi Lib. II. c. XI. habemus: Rex . . . quia non multo ante hac per Apoſtolicæ Sedis Legatos ab uxore ſua ob vinculum conſanguinitatis ſeparatus fuerat, pro ducenda alia pertractans ad Manuel Græcorum Imperatorem tam pro hoc negotio, quam pro Guilelmo Siculo, qui patri ſuo Rogerio noviter defuncto ſucceſſerat, utriusque Imperii invaſore debellando in Graciam Legatos deſtinandos ordinat, ſicque Primatum ſuorum conſilio Anshelmus Hamelburgenſis, & Alexander Apuliæ quondam Comes, ſed a Rogerio cum cæteris eius Provinciæ nobilibus ob ſuſpicionem dominandi propulſus, eandem legationem ſuſcipiunt.*

4) Guntherus in Ligurino Lib. VI. a. v. 403. ad 445. Radevicus Lib. I. de rebus Friderici II. Imp. cap. XIII.

5) Nicetas in Manuele Lib. IV. n. 1. *Stephanus evitatis inſidiis, quæ a fratre ſibi parabantur, Conſtantinopolim profectus, & a Manuele Imperatore humaniter ſuſceptus præter alia plurima beneficia, etiam Mariam uxorem accepit, Imperatoris neptem, Iſaacio Sebaſtocratore natam.* Cinnam. Lib. V. n. IV. p. 118. *Stephanus . . . . ex fratre neptem duxit Mariam Iſanci Sebaſtocratoris filiam Virginem, & ut ante diximus formoſiſſimam, alter vero cœlebs permanſit.*

6) Keza. chron. Clauſtroneob. T. I. col. 446. ad h. a. *Eodem anno Geyſa Rex Ungariæ obiit: cui ſucceſſit filius eius Stephanus: qui non multo poſt regno privatur,* &

ſæ ſuprema voluntate Stephanum filium ſucceſſorem adoptarint, Manuel tamen ſpe lucri, tributi ſcilicet cujusdam annui, aut ſaltem Sirmienſis ditionis Imperio adjiciendæ incitatus Stephanum affinem ad thronum promovere contendit. *Legati ſtatim ad Hunnos mittuntur, qui cum eis de regno ad Stephanum transferendo agerent; paulo poſt ipſe Sardican* (cum exercitu) *venit. Hunni vero ad primum auditum a Stephano abhorruerunt, & nomen ejus ægre tulerunt, eum ſe cum ob alia repudiare aſſerentes, tum quod Romanam uxorem duxiſſet. Minime enim e re ſua eſſe, virum admittere, cum Romanorum Imperatore affinitate junctum. Vereri ſe, ne Hunni ſuo Regi, Rex vero Imperatori Romanorum pareret.* (7) Itaque neque legatione hac, neque Stephani ipſius præſentia, qui interea acceſſerat, aliquid effectum eſt. Manuele tamen promotis copiis, & novis maximisque pollicitationibus inſtante obtentum eſt, *ut Hunni Bladiſtblao* (8) *Stephani fratri principatum deferrent* (9) ipſi Stephano *Urumi* (10) di-

---

& Lazlaus frater defuncti regnum invadit. Chron. Salisburg. aliaque in ſequentes annos transferunt, ordinem tamen ſervant.

7) Nicetas loco citato.

8) De hoc Nicetas loc. cit. *Paulo poſt alter quoque frater Bladiſtlabus Stephanum imitatus ad Manuelem ſe contulit, non tamen quod a fratre minus quam par eſſet, amaretur, aut inſidias timeret, quam fama rerum ſecundarum fratris Stephani impulſus. Neque vero ſpe ſua fruſtratus eſt, haud aliter ab Imperatore ſuſceptus, quam genus eius decebat. Sed omnia ex ſententia confecit. Ac uxorem quam vellet, vel ex Imperatoria ſtirpe ducere ei licuiſſet. Verum conjugio abſtinuit, ne illius blanditiis irretitus, neglecto reditu in patriam, rebus ſuis minus conſuleret.*

9) Idem loc. cit.

10) Nova in Hungaria dignitas ad imitationem Græcorum excogitata, Dominum qui-

dignitatem in regno admittentes. Acta ſunt hæc Julio menſe vel Auguſto ineunte. (11) Verum Ladislao non longe poſt, id eſt *XIX. Kal. Febr. feria prima* (12) extincto, Stephanus obtinuit, ut *tertio idus Februarii in Dominica Exurge* (13) corona patria redimiretur. Ergo Maria Regina evaſit, ſed vir idem, cui dignitatem debuit, eandem mox perdidit. *Vix enim Principatum* (14) *adeptus gravis moleſtusque adeo ſubjectis eſſe cœpit, ut paſſim illum probris inſectarentur Hungari, & regno viderentur ſtatim depulſuri. Quibus Stephanus conterritus opem rurſus Manuelis imploravit. Motis igitur circa æquinoctium* (menſe Martio) *caſtris Philippopolim venit Imperator, ibique cum majori exercitus Romani parte manens, Alexium Contoſtephani filium ex ſorore nepotem cum cæteris copiis in Hungariam miſit. Sed enim Stephanus interea reconciliatum ſe cum Hungaris ratus, ejus operam non adhibuit; quapropter domum rediit Romanus exercitus. Verum mox in Stephanum rurſus inſurgentes Hungari tum alia ei multa, tum & ſub illo perditas eſſe Hungarorum res exprobrarunt. Stephanus autem diſcrimen veritus* (pugnaſſe Stephanum, antequam regno excederet XIII. Kal. Julii *in feſto Sanctorum Gervaſii & Prothaſii feria tertia*, multorumque no-

---

quidem denotans, ſed tum ad ſignificandum ſucceſſorem aſſumpta. Cinnamus loc. cit. *Stephano . . . . Urumi dignitatem conceſſerunt, quo nomine ita apud Hungaros regni ſucceſſor dicitur* Τὸν Οὐρούμ.

11) Id deducitur ex ſex menſibus, quos ſolos Imperii numeravit Ladislaus.

12) Chron. Clauſtroneoburg. (T. I. ſcript. rer. Auſtr. Pezy col. 446.) ad an. MCLXII. *Lazlaus obiit, cui Stephanus frater in regnum ſuccedit.* De die poſſet eſſe dubium. Thuroczy ordinaria lectio habet, *Kal. Febr.* Keza *IX. Kal. Febr.* Neutri diei feria prima congruit. Igitur *XIX. Kal. Febr. legendum.*

15) Id eſt *Dominica Sexageſimæ*, quæ an. MCLXII. in hanc diem inciderat.

14) Cinnamus Lib. V. n. VIII. p. 123.

nobilium cæde victoriam constitisse memorat Keza) (15) *fugit primum, & in quandam e vicinis Istro Civitatibus, quæ jam pridem Imperatori obnoxiæ fuerant, venit: inde in Sardicam transiens, ibi cum Imperatore congressus est. Ille eo casu admodum perculsus, & hominis vicem miseratus pecuniis eum, & idoneis viribus donat ad recuperandum paternum regnum. Iis præfuit copiis Alexius . . . . Imperator autem a tergo paululum subsequebatur.* Concordia primum missis a Stephano III. quem in Imperium avitum restituerant Hungari, Legatis frustra tentata, deinde tamen certis conditionibus (16) inita est. Verum hoc ipsum mortem eidem acceleravit; Hungari enim Zeugminum obsidentes, ut se a Stephano liberarent, Thomam quendam ministrum ejus largitionibus corruperunt. *Is veneficii* (17) *insignis artifex . . . . cum forte Stephanus venam incidisset, veneno ictum inunxit, quod in totum corpus diffusum, correptis vitalibus hominem celeriter confecit.* Patratum est hoc facinus anno MCLXIII. (18) *Tertio Idus Aprilis feria quinta* decimo mense ab ejus ejectione nondum evoluto. *Itaque* (19) *& urbs capta est & totum Sirmium in jus venit. At qui in civitate pro Stephano*

---

15) Itaque impletum est, quod Chron. Claustroneob. loco supra citato subjungit: *Et hic eodem anno cum dedecore regno pellitur: & Stephanus filius Geysæ regno suo honorifice restituitur.*

16) Has inter fuit Belæ traditio & desponsatio cum Maria Porphyrogenita. Itaque Mariæ desponsatio ad an. MCLXII. figenda est. Ex tabulis patet, Stephano tum etiam partem Hungariæ Græcis vicinam fuisse relictam.

16) Nicetas loc. cit.

17) Keza.

18) Cinnamus Lib. V. n. XVII. p. 138.

no ſtabant, Romani perinde & Hungari, incolumes & illæſi permanſere, utpote, qui his conditionibus urbem tradiderant. Stephani vero cadaveri illudentes Hungari primum quidem illud nullis ſacris proſecuti ſunt honoribus, neque aliis, quæ mortuis debentur, officiis; ſed expoſitum, projectumque ante urbis portas inhumatum reliquerunt. Verum ipſis naturæ affectibus permoti, illud tandem in Stephani Protomartyris intulere templum, ibique humo mandavere. Keza ait ſepultum *Albæ*, id eſt Albæ Regali: quo poſtea translatus fuerit, redeunte memoria, Stephanum, licet inviſum, coronatum tamen Regem fuiſſe. Placet Choniatis ſuper his reflexio; quod & Mariæ ejus Conjugi meditandum fuit: Stephani *interitus aperte declarat, hominum cogitationes incertas & fallaces eſſe, ac nonnullos ea ſequi, quæ aſſequi nequeant, & fruſtra ſuis niti conſiliis ac conatibus, divino auxilio non ſuffragante.* Quæ porro Mariæ fata fuerint, uti & an prolem aliquam reliquerit, nuſpiam adnotatum comperi. Albizius (20) ei Iſaacium Cypri poſtea Tyrannum filium tribuit. Verum id tum propter ætatem, tum propter ejus geſta adeo multis difficultatibus obſitum eſt, ut ex alia Iſaacii filia ante Mariam nuptui tradita eum natum quis conjiciat. Tametſi vero pauca de Maria dicere potuerim, hoc commodi ex deductione iſta conſecuturum lectorem ſpero, ut Chronologiam a recentioribus nonnullis rerum Hungaricarum & Byzantinarum ſcriptoribus in Stephano hoc & Manuele perturbatam (21) me reſti-

---

20) In Stemmatibus Princip. Chriſtianor. Tab. XVII. Heroldus in tabulis.

21) Neque obeſt productum (apud Kercselichium Hiſtor. Zagrab. p. 76.) diploma Stephani hujus an. MCLXIII. Indictione XI. epacta XIV. anno regni primo ſignatum; cubare enim errorem in anno Epacta indicat, quæ anno priori congruit: alias XXV. ponenda fuiſſet. Utinam codex Kezæ caſtigatior, aut ali-

tuiſſe agnoſcat; neque enim Ladislaus plus ſex, & Stephanus plus quinque menſibus imperavit. (22)

---

alius, unde ille ſua deſumpſit, reperiretur; non enim dubito, rectam ibi primitus chronologiam fuiſſe conſtitutam. Interim ex concordia exacta feriarum hebdomadæ cum diebus menſium aſſignatis facile erat annum figere ex ipſo Keza.

22) Andr. Dandul. in Chron. Lib. X. cap. I. col. 298. (T. XII. Muratorii.) *Ladislaus Dux uſurpavit regnum ſex menſibus, poſtea frater eius recuperavit regnum menſibus V, & plures nobiles occiduntur. Poſtea de regno pellitur.* Joan. Staindelius in chron. Gen. p. 495. *Dux Ladislaus filius Belæ cæci uſurpavit ſibi coronam dimidio anno, & Kal. Febr. obiit. Poſt hunc frater eius Stephanus uſurpavit ſibi coronam menſibns quinque coronatus III. Idus Februarii, poſthæc expulſus de regno obiit in caſtro Zemlen anno ſequenti.*

MA-

MARIA
BELÆ III. SPONSA. (1)

Natalium ſplendore ſuper communem hominum ſortem evecta; nata enim erat ſub an. MCXLIX. (2) Flavio Manuele Comneno Græcorum Imperatore & Bertha, quam Græci Irenen dixere, ejus Conjuge, Berengarii Comitis de Sulzbach filia. Nobilitatem porro augebat Gertrudis matertera (3) Conrado III. Rom. Regi nupta. Cum vero unica proles ipſa (4) eſ-

1) Vide præfationem huius operis.

2) Illa an. MCLXXX. trigeſimum iam ſuperaverat, teſte Niceta lib. V. n. 8. p. 110. igitur minimum ſub h. annum nata.

3) Godefrid Viterb. P. XVII. p. 350. *Tunc Conſtantinopoli Manuel imperabat, habens uxorem Teutonicam, ſororem ſcilicet uxoris Regis Conradi natam de Sulzbach filiam nobiliſſimi Comitis in terra Bavarorum.* Wilhelm. Tyrius lib. XVI. n. XXIII. *Eorum* (Manuelis & Conradi Imp.) *uxores ſorores erant filiæ Berengarii ſenioris Comitis de Sulzebach magni & egregii Principis, & in Regno Teutonicorum potentiſſimi.* Conf. Otto Friſing. in Chron. lib. VII. c. XXVII. Alteram materteram *Adelheyden* Boleslai I. Ducis Sileſiæ Coniugem memorat Dan. Zepken in Gynæceo Sileſiaco. Conf. Chron. Polon. T. I. Sommersbergii p. 39.

4) Sic ipſe ad Balduinum III. Hieroſol. Regem (apud Wilhel. Tyrium lib. XVIII. n. XXX.) dum ſecundam Coniugem peteret: *Noveris nobis dilectiſſime & Imperio noſtro acceptiſſime, quod felix & inclytæ in Domino recordationis Hirene ſacri Imperii noſtri conſors, diem clauſit extremum, electis ſpiritibus ſociauda, unica nobis filia communis Imperii hærede relicta. Nos autem de imperii ſucceſſione ſolliciti, & melioris ſexus ſobolem non habentes, de ſecundis votis &c.*

eſſet, educabatur in ſpem Imperii, Patre incerto, quem generum vellet. Urgebat Manuelem cauſa hæc gravius, quod Maria Raymundi Pictavienſis Comitis & Antiocheni Principis filia natu minima an. MCLXI. in uxorem (5) accepta ſterilitatem præſeferret. Forte tamen accidit, ut Ladislao & Stephano Geyſæ II. Hungarorum Regis fratribus in ſucceſſionem aviti ſolii fruſtra obtruſis, omnis ei ſpes aut Hungariam integram, aut ſaltem partem illius, quod diu meditabatur (6) occupandi excideret. Ad alia igitur conſilia itum. Erat Stephano legitimo Geyſæ ſucceſſori frater prope adhuc puer Bela: hunc ſibi generum miſſo Legato Georgio Palæologo cohortis Imperatoriæ Præfecto poſtulat Imperator. Nec difficiles fuerunt Hungari, quin puerum traderent, regionem ſimul a Patre illi olim aſſignatam in hæredii ſortem relinquentes; ſicque Conſtantinopolim ductus Bela ibidem Alexii nomen, Græcorum more, adeptus, & Deſpotæ titulo appellatus (7) eſt. Quamvis autem quies vicinis populis ea propter minime data fuerit, Manuel ta-

5) Wilh. Tyr. lib. cit. n. XXXI.

6) Joan. Cinnamus lib. V. n. IX. p. 125. *Hungariam enim medio occidentalium nationum poſitam ſibi comparare totis viribus ſatagebat.*

7) Idem loc. cit. *Belam, qui poſt Stephanum Geyſæ filius erat, Mariæ filiæ ſuæ matrimonio iungere conſtituit. Georgium igitur cohortis imperatoriæ tunc temporis Præfectum, gente Palæologum, atque Sebaſti auctum dignitate in Hungariam miſit, quo de hac ineunda affinitate ſermones ingereret: ipſe vero Byzantium rurſus rediit. Hungari colloquio cum Palæologo habito, & Belam ipſi tradiderunt, & regionem, quam ſuperſtes adhuc Pater illi aſſignaverat, lubentes in hæredii ſortem conceſſerunt. Eo itaque accepto Palæologus — — Byzantium reverſus eſt. Deinceps autem, quæ ad affinitatem iſtam conficiendam neceſſaria erant, curavit Imperator. Atque puero imprimis, mutato nomine, Alexii nomen indidit, eumque Deſpotæ dignitate donavit.*

tamen non longum poſt tempus ſuos *omnes* (8) *jurejurando adegit, ſe poſt ipſius obitum Mariæ filiæ — ejusque marito Alexio Hungaro, ut Romanorum Imperatoribus cum ſumma obſervantia obtemperaturos. Huic edicto paruerunt cæteri præter Andronicum, qui iniquo id animo ferens dicebat Imperatorem ſecunda uxore ducta marem utique procreaturum, cui ſi jusjurandum daturi eſſent, jusjurandum Mariæ jam dandum utique fore irritum. Deinde ira Numinis impulſum videri Imperatorem, qui omnibus Romanis repudiatis alienigenam & aſcititium iſtum filiæ maritum & Imperii ſucceſſorem, cum Romanorum omnium contumelia delegerit. Sed nihil his verbis motus eſt Imperator, ut hominis adverſatoris & contumacis. Quidam tamen, dato jurejurando, Andronico aſſenſi, ſententiam ſuam ſtatim dixerunt, alii ſententiæ dictione omiſſa vehementer contenderunt, neque Imperatoris filiæ, neque Romanæ Reipublicæ expedire, hominem alienigenam rerum potiri.* At litibus his modica Mariæ parabantur ſolatia: cui illud quoque accedebat, quod Stephanus Belæ frater adhuc ultra (9) contenderet, nihil ab Hungaricis ditionibus decerpi, & in poteſtatem alienam transferri: quo augmento fortaſſis Græci ſui in favorem ſponſi potuiſſent deliniri. Et vero Manuel ipſe in jungendis ſacro matrimonii ritu ſponſis adhæſiſſe (10) videtur, ſive tacito ſuorum timore; ſive ſpe prolis maſculæ obtinendæ non penitus abjecta. Tandem etiam an. MCLXVIII. natus eſt ei filius, quem ſecundum oraculi juſſionem Alexium dixere. Imperator ergo jusjurandum de Imperii ſucceſſione a Maria ejusque ſponſo transfert, ſubditis in templo Deiparæ Virginis filio eidem fidelitatem vo-

8) Nicetas lib. IV. n. 4. p. 90.

9) Cinnamus loc. cit. p. 125. *Novus quippe Hungariæ Rex hæreditarias Belæ poſſeſſiones iterum invaſit.*

10) Sane fruſtranea fuiſſet Andronici interceſſio, ſi jam matrimonii vinculo ligati fuiſſent. Nicetas continuo Belam Μνηστῆρα appellat.

vere juſſis. (11) Verum his nondum ſatis Alexio ſuo proſpexiſſe viſus, ne aliquando Bela ſponſæ nomine abuteretur, ipſam ab eo ſejungit, conteſtatus id ex cognationis legibus (12) fieri oportuiſſe. Neque fortaſſis Belæ grave fuerit, imperioſam fœminam dimiſiſſe, gratia Imperatoris non diminuta. Porro Maria duodecim fere annis cœlebs & mœſta in Palatio conſedit. Licet enim a multis tam exteris quam domeſticis procis expetita fuerit, Pater tamen conſilii inops pendebat, cui filiam e bono Reipublicæ traderet, ipſis etiam tractatibus cum Friderico I. Imp. (13) & Guilelmo Siciliæ Rege lega-

11) Nicetas lib. V. n. 8. p. 110.

12) Cinnamus lib. VI. ſed en ſchema ipſum:

Bela I.

S. Ladislaus I.	Geyſa I.
|	|
Irene	Almus Dux.
nupta Joanni Comn.	
|	|
Emmanuel Comn.	Bela II.
|	|
Maria.	Geyſa II.
	|
	Bela III.

13) Godefrid. Mon. ad an. MLXXI. *Imperator — Coloniam intravit, ubi & nuntios Regis Græcorum pro coniunctione filiæ eius filio ſuo accipit.* Arnoldus Lubec. ad an. MCLXXIII. lib. I. c. III. *Dominus Wormatienſis huic itineri ſe ſociavit, non peregrinationis gratia, ſed legatione functus Imperatoris ad Regem Græcorum Manue-*

gatione ultro citroque frequenter missa fere conclusis iterum rescissis. (14) *Post longam Patris circumspectionem tandem uni ex filiis Mon-*

---

nuelem pro filia eius filio suo in matrimonio collocanda. Godefrid. Mon. iterum ad an. MCLXXIV. *In nativitate S. Joannis Baptistæ Ratisbonam venit: ibi nuntii Regis Græcorum eum iterum adierunt pro coniunctione filiæ eius filio Imperatoris.* Andreas Dandulus in chron. lib. IX. cap. XV. parte XIV. (Tom. XII. script. rer. Ital. Murat. col. 292.) ad Vitalis Michaelis Ducis an. XXII. id est MCLXVIII. *Emanuel Imperator Constantinopolitanus suis nunciis cum Guilelmo Rege pacem composuit, & vinculo iuramenti Mariam eius genitam Regi in uxorem dare promisit; sed cum desisteret, schisma inter eos denuo reviviscit.* Circa Arnoldi testimonium observa: in editione Leibnitii T. II. perperam annum MCLXXI. esse positum, ut constat ex Roberto de Monte, aliisque Henrici Leonis iter Hierosolymitanum ad an. MCLXXIII. signantibus. Cl. Schannat in Historia Episcop. Wormat. errorem hunc secutus addidit alterum, Conradum de Stainach Wormatiensem Episcopum peracta hac legatione Terram Sanctam adiisse, ibique an. MCLXXII. obiisse: electionem vero successoris Conradi de Sternberg Papæ propter dissidium Sacerdotii & Imperii diu probatam non fuisse. Sic igitur referendum fuisset: Conradum legationis suæ causa an. MCLXXIII. Constantinopolim veniisse, reque sua ipsis Paschalibus Festis Imperatori Manueli proposita, mox reversum in Patriam (testis jam adfertur in diplomate Friderici Imp. dato Frankenfurt VI. Idus Julii MCLXXIII. apud Kettnerum in antiquitatibus Quedlinburg. p. 189.) eodem anno decessisse. Conradus de Sternberg successor statim electus, quamvis dissidium esset inter Sacerdotium & Imperium, nullam in confirmatione difficultatem sensisse videtur. Hæc ostendenda erant, ne ex Schannato impugnaretur tempus obitus Stephani III. cui, teste Arnoldo, Wormatiensis Præsul cum Comitibus adfuit. Cæterum ille Conradus Episcopus in Palæstina mortuus præfuit Lubecensi Ecclesiæ.

14) Romualdus Salernitanus in Chron. col. 211.

Montisferrati Marchionis adoleſcenti imberbi adhuc tradita fuit; Quamvis ipſa trigeſimum annum exceſſiſſet. (15) Nuptias menſe Februario an. MCLXXX. Conſtantinopoli celebratas memorat Wilh. Tyrius. (16) Conjugis novi nomen Raynerus fuit, eique *Cæſaris & Principis Theſſalonicenſis* dignitas acceſſit; Mariæ vero datum eſt, ut velut Regina cum Conjuge ſuo corona redimiretur: quæ feſtivitas præſentia Julitæ, Matris Rayneri, (17) & coronatione ipſius Manuelis, Imperatricis, Alexii Porphyrogeniti, ac Conjugis ejus (18) facta

15) Nicetas loc. cit.

16) Lib. XXII. n, IV.

17) Bevenutus de S. Georgio in hiſtoria Montisferati col. 346. T. XXIV. Sichardus Ep. Cremon. in Chron. (T. VII. Script. rer. Ital. Murat. col. 602.) *Circa tempora iſta Conſtantinopolitanus Imperator Marchioni Guilelmo de Monteferrato mandavit, ut unum de ſuis filiis Conſtantinopolim mitteret, cui filiam in matrimonio copularet. Tunc temporis Conradus & Bonifacius uxores habebant. Fredericus clericali cingulo militabat, qui poſtmodum fuit Albenſis Epiſcopus. . . . Miſit igitur Conſtantinopolim ætate minorem adoleſcentem Raynerium, ſpecie decorum & aſpectu venuſtum, cui Manuel filiam ſuam Kyrimariam in uxorem tradidit, eumque Regem Theſſalonicæ coronavit.* Conf. col. 612.

18) Robertus de Monte ad an. MCLXXX. *Manuel Imperator Conſtantinopolitanus dedit Reinero filio Wilhelmi Principis Montisferrati filiam ſuam natam ex priore uxore ſua. Quæ cum diceret, ſe nunquam alicui nupturam, niſi eſſet Rex* (ſortaſſis, quod ablato priore ſponſo Regiis honoribus ſubſecutis excidiſſet) *Imperator exhilaratus fecit ſe coronari, & uxorem ſuam, & Alexium filium ſuum iuniorem Imperatorem cum uxore ſua* (Anna, olim Agnete dicta) *filia Regis Francorum* (Ludovici VII.) *Similiter fecit coronari minorem filium Marchiſi Montisferrati cum filia ſua, quam ei dederat; & dedit ei honorem Theſſalonicenſem, qui eſt maxima po-*

te-

cta eſt auguſtior. Sed & ipſa hæc gaudia duratione caruerunt, & ſpes, quam ſervitia Græcis a Wilhelmo Socero præſtita (19) fecerant, brevi intercidit, ubi pater eodem adhuc anno menſe Septembri e vivis abiit, (20) ſimulque tranquillitatem Reipublicæ abſtulit. Tunc enim vero Maria *Mulier alioquin iracunda & virago*, ſui impotens, nihil habens Matris ſuæ, (21) *naturali etiam in novercam*

S

teſtas Regni ſui poſt civitatem Conſtantinopolitanam. Fuit Rainerus Divi Leopoldi March. Auſtriæ nepos. En Schema.

Leopoldus.
|
Jutha ſeu Julita
nupta Willelmo March.
Montisferr.
|
Reinerus.

19) Nicetas lib. VII. Godefrid. Mon. ad an. MCLXXIX. Robertus de Monte, & Anſelmus Gemblac. ad an. MCLXXX.

20) Wilh. Tyrius lib. XXII. n. V. Gaufridus T. II. Bibl. Labb. p. 326. Guil. de Nangis Chron. Turon.

21) Nicetas lib. I. hoc Matri probatiſſimæ fecit elogium: *Uxorem duxit Alemannam ex illuſtri Principum familia, quæ non tam formam corporis curabat, quam animi pulchritudinem. Itaque omnibus fucis & aſcititiis ornamentis repudiatis, ut quæ vecordes mulierculas decerent, naturali rubore contenta virtutum ornamentis fulgebat, conſtantia & gravitate animi gentilitia prædita.* Legi etiam meretur de eadem Cinnamus.

Hen-

cam odio incitata nullum ferre ſuperiorem, nec Alexii Comneni Protoſebaſti tutoris Imperatorii tolerare potentiam, immo eouſque inſaniæ & temeritatis progredi, ut conjuratione cum pluribus inita certos ad necem huic inopinato inferendam conduceret. Verum his in ipſo ſceleris conatu deprehenſis, illa cum Cæſare ſuo ad divæ Sophiæ confugit, freta gladiatoribus Italicis & populi commiſerantis tumultu, qui cauſam ejus adverſus immiſſos milites multas inter cædes tuebantur. Jam expilatis Procerum palatiis, ipſaque Prætoriana domo, quin vel commentariis publicis parceretur, direpta, clades auguſto illi templo imminebat, quod Maria pertinax nec veniam petere, nec ſacra æde velut arce ſua cedere vellet: cum agente potiſſimum Theodoſio Patriarcha admiſſi ſunt internuntii, quibus hinc inde referentibus ita inter partes adverſas concluſum eſt

---



eſt, ut æterna utrinque oblivione illa tollerentur diſſidia, neque ulli nocumento foret iſthæc attentaſſe. Evaſiſſe ſic indemnis credebatur Maria, ſed venit demum ille diu antehac multis votis inclamatus ultor Flavius Andronicus Comnenus, quo Rempublicam, tum quidem tutoris nomine, occupante, & in omnes melioris ſortis homines ſæviente, ipſa cum Cæſare ſuo continuatis funeribus ſublata eſt, veneno, ut rumor publicus ferebat, ad Andronici deſiderium extincta. Atque hic exitus fuit fœminæ, quam non vidiſſe, merito ſibi Hungaria gratuletur. Contigit ille anno MCLXXXII. (22) Cæterum Maria nullius, quod ſciam, prolis Mater fuit.

---

22) Nicetas hæc fuſe in Alexio a num. 4. ad 14. exponit. Sichardus Ep. Cremon. T. VII. ſcript. rer. Ital. Muratorii col. 602. *Initiata iniquitate Imperatricem matrem pueri & Raynerium Imperatoris generum cum uxore occidit.*

ANNA

BELÆ III. PRIMA CONJUX.

Solutis qualicunque ratione prioribus cum Maria Porphyrogenita vinculis, Manuelis Imperatoris beneficio Belæ in matrimonium data eſt ſoror Conjugis ejus Mariæ. Hæc (1) iisdem Raymundo Pictavienſi Comite Antiocheno Principe, fratre Guilelmi noni celeberrimi Aquitaniæ Ducis, & Conſtantia Antiochena Boemundi ſecundi Principis filia Parentibus nata recens cum Balduino fratre Antiochia Conſtantinopolim advenerat, non alia absque dubio mente, atque ſororem ſuam Auguſtam jam ſeptennio abſentem inviſendi. Aſt aliud viſum eſt ei, qui fata hominum ſuprema ſua voluntate diſponit. Tum enim poſtulata eſt, ut conjugali Sacramento Belæ jungeretur: cui oblationi non invita conſenſit. (2) Agnetis nomen ipſi fuiſſe Albericus Mon. (3) tradidit. Cum vero hoc conjugio *Cæſariſſa* fuerit facta, ſane adhæſi, ſi Græci nomen iſtud ei reliquiſſent, quod in Agnete Alexii

e

---

1) Albericus eam facit Rainaldi filiam. Verum Tyrius Mariam appellat *natu minimam*; unde ſequitur non Philippam modo ſed & Annam fuiſſe ſeniorem, & conſequenter Raymundi filias non Rainaldi.

2) Nicetas lib. V. n. 8. p. 110. *Filiam ab Alexio ſejungit, eique uxoris ſuæ ſororem recens Balduino fratre Antiochia profectam deſpondet.* Locus aliquantum (fortaſſis vitio Typothetæ) obſcurus indicare videtur Balduinum fratrem Antiochiæ relictum, verum adjunctus Græcus textus clare habet: σὺν τῷ ἀδελφῷ Βαλδουίνῳ.

3) Ad an. MCLXVII. in Chron. p. 347. ed. Lipſiæ MDCIIC. 4.

e ſorore nepotis ſponſa in *Annam* converterunt. Hoc tamen nomine ipſam continuo appellare coegiſſet ſilentium tam Græcorum quam Latinorum ſcriptorum, niſi Cl. P. Joannes Fridvalzky (4) *Annam* Belæ hujus Conjugem detexiſſet: quam, cum alias ei locus non ſit, eandem cum Agnete fuiſſe intuli, & nomen a Græcis impoſitum etiam poſthac conſervaſſe judicavi. Cæterum certum eſt ipſam fuiſſe Principem fratribus & ſororibus ſuis multum præſtantem; Boëmundum enim fortunæ conſtantia, (5) Balduinum (6) & Alaidem (7) adepto Imperio, Philippam (8) honeſtate morum & integritate vitæ, Mariam fœcunditate & quieto vitæ termino ſuperavit: digniſſima, quæ aliquando ſolium Hungaricum Regina conſcenderet. Iniri matrimonii annum exeuntem MCLXVIII. fuiſſe me duo hæc perſuaſerunt. Primum quidem, hac anni iſtius parte natus Manueli Alexius, qui an. MCLXXXIII. ſub menſis Septembris exitum occiſus decimumquintum ætatis annum (9) nondum

 com-

4) Vide infra num. 19.

5) Captus is paucos ante annos a Saracenis, & iterum reſtitutus.

6) Nihil quidem de eo amplius comperi. Paoli ait infantem mortuum.

7) *Alaidem duxit Marchiſius Eiſtenſis in Italia*, ait loco cit. Albericus. Cæterum hic perperam proles has Rainaldo Principi tribuit; is enim vitricus fuit cæterarum, & Pater ſolius Alaidis, alias Aliſiæ dictæ; cum enim Maria natu minima tum fuerit (Teſte Guil. Tyrio) eaque Comitis Pictavini filia, ſequitur Philippam & Annam iisdem parentibus natas fuiſſe.

8) Nicetas lib. IV. n. 5. p. 91. parum decora refert; nupta deinde Humfredo de Toron.

9) Idem in Andronico lib. I. n. 1. p. 178. *Ad hunc modum Alexius Imperator rebus*

compleverat. Deinde Andreas Annæ filius ordine ſecundus jam an. MCLXXXV. cum exercitu in Lodomeriam miſſus. (10) Prima conjugii tempora apud Manuelem Conſtantinopoli tradu&ta ſunt, donec ſcilicet Stephanus Rex mariti frater *anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo tertio, quarto nonas Martii Feria prima* (11) vita exceſſiſſet. Aperiebatur tum Belæ ampla honoris porta, qua ad Regiam uſque dignitatem mox perveniſſet, niſi ſui aliquamdiu tergiverſati fuiſſent, ſive vivente adhuc Meriſa Stephani ex priore Conjuge filio, (12) ſive expe&tatione prolis ex Agnete vidua utrum ferente, (13) ſive denique odio Græcæ affinitatis & Græcorum morum, quibus hic aſſeviſſet. Verum mora illa propter filium ſuperſtitem aut expe&tandum, paulo poſt quacunque demum ex ratione evanuit, ipſe autem exercitu Manuelis comitatus, nulla adhucdum vi illata, ſuorum animos ita flexit, ut ei Legatos obviam mit-

---

bus humanis exemptus eſt, anno ætatis nondum decimo quinto, Imperii tertio exa&o.

10) Cromerus lib. VI. rer. Polon.

11) Keza in Chron. Quamquam nullum Belæ diploma anno regni ſignatum reperierim, concordant tamen omnia: dies hebdomadæ, menſis, annus, iidemque ad mortem an. MCXCVI. IX. Kal. Maji infra demonſtrandam faciunt annos viginti tres, menſem unum, dies novemdecim regni Belæ in hoc Chronico ſignatos; ut adeo dies annusque ſupremus Stephani recte adnotatus haberi poſſit. Conf. ea, quæ ſupra de legatione Conradi Wormatienſis Epiſcopi oſtendi.

12) Meminit hujus filii ſui Stephanus tertius in literis an. MCLXVI. Nono Kal. Nov. datis apud Cl. P. Nic. Schmitth. in Ep. Agrienſ. T. I. p. 92. licet videatur præmortuus, quod Keza dicat Stephanum *ſine hærede* obiiſſe.

13) Arnoldus Lubec. lib. I. cap. III.

mitterent, Regiumque thronum ſponte offerrent. (14) Unus in ipſo regiminis aditu obſtabat Guitardus frater, cui non libuit quieſcere, donec victus perpetuæ cuſtodiæ mandaretur. (15) Coronatio peracta eſt ſequenti anno *Idibus Januarii feria prima.* (16) An vero etiam Anna coronæ decus accepit? Id quidem mihi veterum hac in re ſtudium perpendenti etiam absque teſtibus certum videtur. Succeſſit porro Regnum potiorem partem pace felix, diſciplina reſtituta quietum, promotis æquitatis ac pietatis ſtudiis auctum. Et Belam quod attinet, is turbatas beneficiorum rationes an. MCLXXIX. (17) lubens reſtituit, Egreenſi, Peliſienſi, Bocconienſi, Gothardi, aliisque novis Ciſtercienſis Familiæ coloniis Patriam ornavit, (18) meliorem in judiciis ordinem induxit: Anna

---

14) Cinnamus lib. VI. n. XI. p. 167. *Illic* (ad Sardica) *morantem* (cum exercitu Manuelem) *convenere Hungarorum Legati Belam ſibi mitti in Regem poſtulantes — — Regem igitur — — cum uxore in Hungariam miſit — — Illum vero comitabantur, a quibus in regnum deduceretur, Joannes Protoſebaſtus, aliique illuſtres.* Nicetas lib. V. n. 8. p. 110. *Manuel ejus* (Hungariæ Regis) *mortem peropportunam ratus Alexium ſtatim cum ſplendido comitatu & maximo apparatu Regio ad Pannoniæ dominatum accipiendum ablegat. Eo ſine labore diademate ornato, & totius Hungariæ Rege citra controverſiam declarato — —*

15) Albericus ad an. MCLXVII. p. 347. *Imprimis adverſabatur quidam frater ſuus Guitardus, ſed tandem victus fuit, & concluſus.* De hujus liberatione iterum ad an. MCLXXXIX. erit mentio. Quid? ſi ab hoc fortaſſis monaſterium de Gothardo nomen accepit.

16) Keza in Chron. ubi iterum omnia concordant.

17) Literas Belæ a Cl. Kollario reſtitutas exhibet Prayus ad h. a.

18) R. P. Theophilus Heimb in Notitia hiſtorica Abbatiæ B. V. ad S. Gothardum dictæ p. 32. 45. 152.

na viciſſim, quantum ſua ex parte poterat, donatione quintæ partis annuæ proventuum tributi de Ziloh commoda monaſterii Beatæ Margarithæ de Mezes ſtabilivit. (19) Cumulo accedebat grata fæcunditas, natis ex hoc matrimonio pluribus prolibus. Ex iis conſtant Emericus & Andreas poſtmodum Reges; (20) alius his minor; cujus Innocentius III. meminit; (21) Maria, quam Margaritham prius dictam volunt, (22) nondum decem annis completis Iſaacio Angelo Græcorum Imperatori an. MCLXXXVII. deſponſata, poſtque varias fortunæ vices illo mortuo, Bonifacio Montisferrati Marchioni ſub an. MCCIV. legitime (23) juncta; Conſtan-

19) Literas Eliſabethæ Reginæ donationem Annæ firmantes protulit Cl. P. Fridualſzky in dedicatione mineralogiæ an. MDCCLXVIII. editæ.

20) Albericus loc. cit.

21) Licet. 6. de vot. & voti redemptione.

22) Albericus loc. cit. *Genuit — — duas Reginas Conſtantiam de Bohemia & Margaretham de Græcia.* Sed de Maria videatur Pipinus Cap. XXXI.

23) Nicetas lib. I. de Iſaacii Angeli imperio n. 4. *Uxore defuncta alienigenam ducere ſtatuit, & per Legatos Belæ Hungariæ Regis filiam nondum decem annos natam ambit.* Equidem Dandulus in Chron. lib. X. cap. II. Parte III. narrat: *Inter hæc Imperator Emanuel Nepoti ſuo Iſaaco Regis Hungariæ filiam in Conjugem ſumpſit.* Georg. Aeropolita: *Cum Imp. Iſaacius rem gereret Conſtantinopolitanam, uxore demortua, quam ſupra diximus, Ungaram Ungarorum Principis filiam uxorem duxit.* Res ambigua: an fortaſſis vivente Manuele promiſſa vix unius alteriusve anni puella, ſed altera poſtmodum ante eam accepta? An Iſaacius tres Conjuges habuit, primam Belæ filiam aliquam nobis cæteroquin ignotam, ſecundam Græcam, tertiam hanc iterum Belæ filiam, de qua agimus? Elige, quod velis.

ſtantia an. MCXCIX. Premislao Ottocaro Boemiæ Duci in Conjugem data & an. MCCXL. defuncta. (24) Denique adhuc una (ſi non eadem Conſtantia fuit, ut quidem mihi videtur) Friderico Sueviæ Duci Friderici Ænobarbi Imp. filio an. MCLXXXIX. promiſſa, ſed illo ante nuptiarum celebrationem apud Palæſtinos (25)

T e

---

lis. Iſtius quidem ſecundas nuptias ex eodem Niceta lib. I. de Balduino n. 1. habemus: *Marchione Bonifacio comitante, qui Mariam Pannoniam ſecum ducebat, Iſaacio Angelo pridem nuptam, ſed poſt illius obitum & Urbem captam legitimo matrimonio iunctam.* Regreſſæ tum ad Latinam Eccleſiam gratulatus eſt Innoc. III. Papa, ut refert Rayn. ad an. MCCV. n. VIII.

Schema.

Bonifacius D. Leopoldi
March. Auſtriæ nepos.
Leopoldus.
|
Jutha
nupta Wilhelmo March.
Montisferr.
|
Bonifacius.

24) Continuator Coſmæ Pragenſis Mill. C. LXXXXIX. *Rex Przemisl ſublimatur in Regem, & dimiſſa uxore ſua duxit Conſtantiam ſororem Regis Ungariæ.* Et iterum: *Mill. CC. XL. Conſtantia Regina obiit Idus Decembris.*

25) Otto de S. Blaſio c. XXXV. *Fridericus Dux Chriſtianis in obſidione Accaron* (Ac-

e vivis erepto, cœlebs relicta. (26) Universa tamen Annæ solatia subvertit infelicitas sororis suæ Mariæ Imperatricis, cui bellum a Bela Græciæ infusum (27) fuit interitui. Dubium profecto est, quæ ratio Regem ad pacem toto Regni sui tempore cultam, jam rumpendam impulerit. Potuit ille credere se solutum jurejurando, quo se in Hungariam remissus Manueli obstrinxerat; (28) potuit Provincias vindicare alioquin turbata Græca Republica in alienas manus prolapsuras; potuit injurias affini a FL. Andronico Comneno tyrannidem affectante illatas ulcisci. Ut ut fuerit: Maria certe proditionis accusata, quæ sororis suæ maritum crebris litteris, magnisque pollicitationibus ad arma Imperio inferenda impulisset, car-

---

(Accon) *desudantibus associatur, ab eisque glorioſe ſuſcipitur, ubi modico manens tempore, febre corripitur, immaturaque morte raptus cum maximo planctu ibidem ſepelitur.*

26) Chron. Auſtr. incerti author. T. I. ſcript. rer. Auſtr. Pezii col. 566. ad h. a. *Rex etiam Bela Hungariæ — — dubium: an ob reverentiam Romanæ Maieſtatis, an ob contracti matrimonii inter alteram filiarum & Ducem Sueviæ poſt reditum ſuum vinculum uniendum fecerit — — Imperatorem magnifice receptum uſque ad introitum Bulgariæ cum omni comitatu ſuo in propria perſona conducit. Conr. Urſperg. ad h. a. Alteri quoque filio ſuo Friderico Duci deſponſavit filiam Regis Ungariæ, qui tamen morte præventus ipſam non traduxit.*

27) Chron. Auſtr. incerti auth. (Pez. T. I. col. 564.) ad an. MCLXXXII. *Rex Ungariæ Bela Græcorum caſtra & civitates in Bulgaria obtinuit.* Et ad an. ſeq. *Item Rex Ungariæ Bela terram Græcorum valida manu vaſtat.*

28) Cinnamus lib. VI. n. XI. p. 167. *Regem cum uxore in Hungariam miſit, cum iureiurando prius eum obſtrinxiſſet, quæ Imperatori & Romanis profutura eſſent, per omnem ſe vitam ſervaturum.*

carceris ſqualorem, famem, ſitim, contumeliasque & ludibria cuſtodum pertulit, tum tandem ſuffocata eſt: vel proprio filio Alexio in necem matris ſubſcribere coacto, quam & ipſe paulo poſt æque crudeli fato ſequeretur. (29) Anna huic in ſororem ſuam an. MCLXXXIII. menſe Auguſto, patrato ſceleri haud diu ſupervixit; cujus argumentum habemus ipſam ſollicitudinem mariti vidui ſequente anno exeunte novam ſponſam e Gallia petentis.

---

29) Nicetas in Alexii imperio ſub finem.

Schema.

Guilelmus IX. Dux Aquit. } Raym. Comes Pictav. } Anna.
Philippa Comes de Toloſa. }

Boemundus II. Pr. Ant. } Conſtantia. }
Adelais Princeps Edeſſæ. }

MARGARITHA
BELÆ III. CONJUX SECUNDA.

Magnorum ſanguis Regum Ludovici VII. Francorum Regis, & Conſtantiæ Alphonſi VII. Hiſpaniarum Imperatoris filia. (1) Eam vix annum egreſſam Henricus II. Angliæ Rex miſſo Thoma Becket Cantuarienſi Archidiacono, & Cancellario Regni (poſtea Archiepiſcopo Cantuarienſi & Martyre inter Divos relato) ſponſam filio ſuo Henrico petiit. (2) Res an. MCLVIII. tractari cœpta his demum matrimonii futuri pactis concluſa eſt, ut dotis nomine Giſortium, aliaque quædam Normanniæ oppida Anglis cederent. (3) Margarita igitur ab Henrico Rege abducta Roberto de Novoburgo (Dapifero & Juſtitia totius Normanniæ) tradita fuit educanda, dum Sponſi adoleſcerent. (4)

Ve-

---

1) Radulfus Goggeshale in Chron. Angl. (in coll. Martene, & Durand.) T. V col. 807. *Ludovicus duxit Conſtantiam filiam Imperatoris Hiſpaniarum, ex qua habuit filiam nomine Margaritam — deinde Rex genuit aliam de Conſtantia nomine Adelaidis, in cuius partu mater clauſit extremum diem.* Conf. Guil. de Nangis ad an. MCLIV.

2) Radulphus de Diceto ad h. a. *Thomas Regis Cancellarius in apparatu magno venit Pariſios Margaritam filiam Regis Francorum accepturus Henrico filio Regis Anglorum.* Eodem Matthæus Paris. ad h. a.

3) Goggeshale loc. cit. *Henrico iuniori filio Regis Angliæ in matrimonio iuncta eſt. Vilcaſſinenſem autem terram dedit Rex Ludovicus filiæ ſuæ in matrimonium.*

4) Robertus de Monte ad an. MCLIX. *Henricus Rex menſe Auguſto transfretavit*

Verum Anglus non expectata eorum pubertate feſtivitatem matrimonii an. MCLX. IV. Non. Novembris apud Novumburgum peragi (5) fecit, ſimulque oppida dotalia (6) occupavit. Natum inde bellum haud diu poſt quidem ſopitum fuit, animis tamen ſic ulceratis, ut nunquam penitus coaluerint, modo his, modo illis occaſionem belli aut turbarum qualibet ex re captantibus. Quod ſibi Ludovicus præſagiens jam an. MCLXIV. Joanni Sarisberienſi dixit: ſe filiæ ſuæ paradiſum optare, quod multorum malorum cauſa (7) ſit futura. Serpebant interim hæc clanculum; at demum

vit in Normanniam, & locutus cum Rege Francorum Ludovico ſuper Ettam Fluvium de pace, & matrimonio contrahendo inter filium ſuum Henricum, & filiam Regis Francorum Margaritam, & præſtitis hinc inde ſacramentis venit in Argentomagum. Inde Pariſios evocatus, ſummisque honoribus affectus *rediens filiam Regis Francorum ſecum adduxit, & eam ad cuſtodiendum, & nutriendum Roberto de Novoburgo fideli ſuo tradidit.*

5) Radulph. de Diceto ad h. a. *Henricus Rex Angliæ Margaritam filiam Regis Francorum, quam apud ſe habebat in cuſtodia, Henrico filio ſuo deſponſari fecit — celebratum eſt autem matrimonium inter filium Regis Anglorum ſeptennem, & filiam Regis Francorum triennem auctoritate ſcilicet Henrici Piſani & Wilhelmi Papienſis Presbyterorum Cardinalium & Apoſtolicæ Sedis Legatorum. Hoc autem factum eſt apud Novumburgum III. Non. Novembris.*

6) Nicolaus Trivetus ad h. a. *Statimque Henricus Rex Anglorum tria caſtella communitiſſima, ſcilicet Giſortium, Neufliam, & Novum Caſtrum ſita ſuper Etam Fluvium in confinio Normanniæ & Franciæ occupavit. Pepigerant enim inter ſe Reges, quod iſto matrimonio conſummato, Henricus Rex iſtas munitiones haberet, quas conſtat ad Ducatum Normanniæ pertinere. Rex tamen Francorum captionem Caſtellorum graviter tulit. Obſedit etiam caſtrum Calvi Montis &c.*

7) Idem Sarisberienſis ep. XXIV. lib. I. Epiſtolar. D. Thomæ Cant. *Cum vero eum*

ex

omnium oculos auresque feriit publicus contemptus, (8) cum Margarita Cadomi relicta Henricus filius XI. Kal. Jul. die Dominica (9) an. MCLXX. Londini in Weſtmünſter in conventu Procerum juſſu Patris ab Eboracenſi Archiepiſcopo fuit coronatus. Quamvis autem Henricus ſimulatione aliqua ſperandæ coronationis filiæ offenſum Ludovicum mitigare (10) contenderit, is tamen in-

ju-

---

ex parte filiæ ſuæ, quam nuper ſanam videram, quando a Domina Regina licentiam accepi, ſalutaſſem, reſpondit: ſibi gratiſſimum fore, ſi illa iam ab Angelis recepta eſſet in Paradiſo. Cui cum ego ſubiungerem, quia iſtud per miſericordiam DEI quandoque veniet, ſed ante multis gentibus lætitiam dabit; reſpondit Rex: Hoc quidem DEO poſſibile eſt, ſed longe veroſimilius, quod multorum futura ſit cauſa malorum. Sed abſit, licet illa quidem paternus præſtigit animus; quia vix impleri ſpero, ut ab ea poſſit aliquid boni eſſe.

8) Ita opp. cit. lib. V. epiſt. XI. amicus quidam: *Rex prima Dominica die Londoniis debet eſſe — — Sane ea die coronabit filium Regis Eboracenſis, uxore eius, filia ſcilicet Regis Francorum apud Cadomum derelicta, & quaſi repudiata in contumeliam Patris, & contemptum. Coronabitur certe puer ille, quem diximus, & quando diximus, niſi Dominus mare clauſerit navigare volenti, vel manus contraxerit Eboracenſi, vel niſi Rex Francorum aliquo prohibitionis modo inhibuerit.*

9) De die menſeque coronationis huius admodum variant authores. Chronicon Malroſſenſe habet *XI. Kal. Junii.* Rob. Hovedenus *decimo ſeptimo Kal. Jul.* Matthæus Paris. *Decimo quarto Kal. Jul.* Nullus horum dierum fuit Dominicus; cum vero Wilhelmus Stephanides in vita D. Thomæ aſſerat, illam imminente feſto nativitatis S. Joannis Baptiſtæ fuiſſe celebratam, *undecimo Kal. Julii* certæ erunt.

10) Sic fidelis quispiam Thomæ lib. V. ep. XXXIII. *Transacta Dominica Rex apud Londonias filium ſuum cingulo militiæ donavit, eumdemque ſtatim Eboracenſis in Regem inunxit. Ibique Rex filiis ſuis Terras diviſit, cunctis admirantibus, quid de*

cæ-

juriam hanc armis (11) ultus eſt, ulteriusque fuiſſet progreſſus, niſi Henricus bona verba dediſſet, plura ſpopondiſſet. Nec vero indignatio concepta prius reſedit, quam Margarita opere ipſo Wintoniæ VI. Kal. Septembris an. MCLXXII. (12) coronaretur, Henri-

---

catero facturus ſit. Adventum ſuum in Normanniam quotidie facit prædicari, ut magis timeatur. Sed non veniet, quamdiu filiam Regis Francorum cum Regina Cadomi morantem veſtibus, equitaturis, & familia decenter inſtruxerit ad navigandum, quando ipſe mandaret. Hoc autem factum eſt, ut audiat Rex Francorum, & ab indignatione, quam de contemptu filiæ concepit, aliquantiſper quieſcat. Non enim mandatum eſt, ut ſtatim eat, ſed præparari iubetur, ut, quando Rex miſerit pro ea, ire non differat.

11) Robertus Hovedenus in chron. ad h. a. *Cum autem conſtaret Ludovico Regi Francorum, quod Margareta filia ſua non erat cum viro ſuo coronata, magnum congregavit exercitum, & hoſtiliter intravit Normanniam.*

12) Gervaſius Monach. Doroborn. ad h. a. *Rex autem Franciæ Ludovicus non modice indignatus eſt, quod Margareta filia ſua cum viro ſuo Henrico Rege iuniore non fuit coronata. Rex igitur Angliæ Henricus inſtinctu Legatorum miſit in Angliam ſimul cum filia Regis Franciæ prædictum filium ſuum iam coronatum, ut ambobus in Anglia corona Regni imponeretur. Miſit etiam cum eis Rotrodum Rotomagenſem Archiepiſcopum, & Egidium Ebroicenſem Epiſcopum. Coronati ſunt itaque in Civitate Wintonia manu R. Rotomagenſis Archiepiſcopi VI. Kal. Sept.* Joannes Brompton in chron. ad h. a. *Rex — de conſilio prædictorum Cardinalium apud Cadomum inventorum ſtatim cum Rege Franciæ de coronatione filiæ ſuæ adunavit. Et poſtea mox aſſenſu & conſilio dictorum Cardinalium Henricum filium ſuum cum Margarita filia Regis Franciæ ſponſa ſua, & cum eis Rotrodum Rothomagenſem Archiepiſcopum, Egidium Ebroicenſem, & Rogerium Wigornenſem Epiſcopos in Angliæ deſtinavit. Quibus circa feſtum Sancti Bartholomæi apud Southampton applicatis, Dominica proxima ſe-*

rico ſolum id adjiciente, ut filius ſuus iterum ad eundem honorem admoveretur. Fruebantur jam optata quiete Regii Conjuges, eaque fortaſſis absque perturbatione perſtitiſſet, ſi Henricus Pater Ludovici deſiderio filiam ſuam Reginam videndi non acquieviſſet. Ludovicus enim exceptis magno cum gaudio menſe Novembri reducibus ſuis tantum ſe animo juvenis Generi (ut ferunt ſcriptores Anglici (13)) inſinuavit, ut ei perſuaſerit a Patre ceſſionem Angliæ aut Normanniæ petere, recuſantemque armis, adjutore ſocero, cogere. Verum cum fratres etiam & Matrem adverſus Henricum Patrem eadem molitos reperiam, dubito admodum, utrum Ludovicus hujus attentati author habendus ſit. Pars calamitatis ex his turbis in Margaritam redundavit; ducta enim fuit cum Eleonora Regina (captiva, an obſes?) in Angliam, (14) hoc ſolum meliorem ſocru ſua ſortem nacta, quod brevi iterum in libertatem adſerta, & pax integre reſtituta fuerit. Sequentes anni aliquot utcunque Patrem inter & filium Reges pacifici fuere, ſolis aliquoties bel-

---

ſequente Rotrodus Rothomagenſis Archiepiſcopus Henricum Regem iuniorem in Eccleſia Sancti Swithuni apud Wintoniam iterum coronavit, & eodem die dictam Margaritam uxorem ſuam unxit in Reginam, & eam cum marito ſuo coronavit, Ebroicenſi & Wigornenſi Epiſcopis in illo officio miniſtrantibus. Hæc eſt ſecunda coronatio Henrici iunioris Regis, & Margaretæ uxoris prima.

13) Gervaſius Doroborn. ad an. MCLXXII. *Ex præcepto Patris ſui cum Regina ſua Regem adiit Franciæ, ut cum eo loqueretur. Rex enim deſideravit eum & filiam ſuam iam Reginam Angliæ videre. Inde ad Patrem ſuum Rex iunior rediens inſtinctu Regis Franciæ petivit a Patre, ut Angliam vel Normanniam ei aſſignaret.* Conf. Joann. Brompton. ad h. a.

14) Nicolaus Trivetus ad an. MCLXXIV. *Reginæ Anglorum Alienora uxor Patris, & Margareta uxor filii in Angliam deducuntur.*

bellicis irruptionibus inter Ludovicum & Henricum corrupti. At ſeminante rurſus inimico diſcordias bellum filii Conjugis adverſus Patrem ſuum, & fratrem an. MCLXXXIII. exarſit, quod dum ille acrius perſequitur, corporis & animi ægritudine oppreſſus, pœnitens tamen, III. Idus Junii, in Caſtro Martello Lemovicenſis territorii obiit, & Rothomagi in templo B. M. V. ut poſtulaverat, ſepultus (15) eſt. Rex multis nominibus commendandus, ſi ipſi cum Patre conveniſſet; ſic vere illum nulla re, ne quidem relicta prole, (16) felicem dicere poſſumus; quippe filius ille unicus Willielmus, quem ei Conjux an. MCLXXVII. Pariſios ad Patrem digreſſa pepererat, non niſi triduum (17) vixit. Illud modo ſolatii a moriente marito Margarita habuit, quod hic etiam tum conjugalis amoris, & ſolicitudinis memor eam Patri in epiſtola, qua ſupremum noxarum veniam petiit, (18) commendaverit. Ipſa vi-

15) Chronicon S. Florentii Salmurienſis: *MCLXXXIII. obiit Henricus Rex iunior III. Idus Junii.* Gervaſius Doroborn. ad h. an. *Ipſe Rex acerba preſſus infirmitate in præfato Caſtello Lemovicenſi decidit in lectum, & mortuus eſt III. Idus Junii.* Chronicon. Turon. *Nec multum poſt Henricus Rex Angliæ iunior in Lemovicenſi territorio apud caſtrum, quod dicitur Martellum, obiit, & apud Rothomagum ſepelitur: Vir ſtrenuus, humilis, largus, pulcherrimus, ſapiens & facetus, &, ut verius loquar, nulli ſecundus.* Amplior in ejus laudibus eſt Robertus de Monte.

16) Goggeshale: *MCLXXXIII. Henricus Rex iunior, qui contra Patrem rebellaverat, apud Martens moritur abſque liberis.*

17) Joan. Brompton. ad h. a. *Eodem anno circa feſtum Sanctæ Trinitatis Margareta uxor iunioris Regis Angliæ, quæ prægnans ad Regem Franciæ Patrem ſuum abiit, peperit filium nomine Willielmum, qui infra triduum Pariſiis obiit; & quidam dixerunt, quod abortivus fuit.* Conf. Hovedenus ad h. a.

18) Gaufridus Voſienſ. in Chron. *Orat liberaliter providere uxori iam viduæ.* Conf. Robertus de Monte ad h. a.

dua poſthac apud Philippum fratrem perſtitit, dum a Bela Hungarorum Rege in Conjugem poſtularetur, eo gratior futura, quod eundem cum Anna proavum haberet. Vide hic ſubjectum Schema. Miſſi ob eam cauſam primum an. MCLXXXIV. exeunte (19) in Gallias Legati rem non confecerunt, & fortaſſis nunquam ea reſumpta fuiſſet, ſi Theodora Comnena Andronici Laopardæ vidua, quam interea petere viſum fuit, a vinculis monaſticis invite ſuſceptis

---

Philippus
Rex Galliæ.

Conſtantia nupta Boamundo I. — Ludovicus Craſſus R. G.

Boamundus II. — Ludovicus Pius R. G.

Conſtantia. — Margaritha.

Anna.

19) Jacob Boſius in hiſtoria Militiæ S. Joan. Jeroſolym. lib. IX. narrat an. MCLXXXV. Patriarcham Hieroſolymitanum, & Priorem Domus S. Joannis Pariſiis Legatis Hungaris ſponſæ petendæ cauſa præſentibus innotuiſſe. Atqui Patriarcha cum ſuis (teſte Rigordo ad an. MCLXXXIV. quem hic more veteri ad XXV. Martii computat) XVII. Kal. Feb. Pariſiis advenit, Februarium iam in Anglia agens. Igitur recte ſupra monui, iam in Hungaria exeunte an. MCLXXXIV. de petenda e Galliis ſponſa fuiſſe tractatum. Joan. Stainlelius in Chron. ad h. a. p. 497. *Bela Rex Hungariæ miſit nuntios ad Philippum Regem poſcens ſororem eius Margaretam relictam Henrici Regis Angliæ iunioris.*

ptis Synodi judicio fuiſſet abſoluta. (20) Attamen Henrici ſoceri opera, (21) quorum quæſtionem de dote motam amice (22) compoſuerat, iterum an. MCLXXXVI. advenientes nuncii non modo perquam benigne habiti, & donis honorati, ſed & aſſenſu Regis Philippi ſimul & Margarithæ exhilarati fuerunt. (23) Antequam

20) Ducange in fam. Byzant. Balſamon. in Can. Apoſt. p. 1117.

21) Vide infra ad notam 27)

22) Nicolaus Trivetus ad an. MCLXXXVI. *Sexto Idus Martii — quæſtio, quæ mota fuerat inter Regem Anglorum, & Margaritam relictam filii ſui Regis tam ſuper dote ſua, quam ſuper donatione propter nuptias amicabili compoſitione finem accepit.*

23) Rigordus in Philippo II. (Tom. V. collect. Ducheſn. p. 20.) ad h. a. *Miſſi ſunt nuncii a Bele Rege Hungariæ, Pannoniæ, Cromatiæ, Avariæ* (ita ibi) *Dalmatiæ ad Philippum Auguſtum Chriſtianiſſimum Regem Francorum. Audierat enim Rex Hungariæ Henricum minorem Regem Angliæ filium Henrici — Domino vocante de medio ſublatum. Uxorem eius nomine Margaritam, videlicet ſororem Regis Franciæ Philippi, tum pro antiqua dignitate Regum Francorum, tum proſapia* (ſorte *pro ſapientia*) *& religione ipſius Reginæ, quæ fama multorum referente didicerat: ſibi in matrimonium coniungi affectuoſiſſime cupiebat. Interea nuncii Regis Ungariæ Pariſios venientes petitionem ſuam humiliter Regi Philippo propoſuerunt. Quorum petitiones benigne ſuſcipiens, convocavit Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & Principes Regni maiores, quorum conſilio, & ſapientia in negotiis ſuis pertractandis frequentius uti conſueverat. Et habito cum illis conſilio Margaritam dilectiſſimam ſororem ſuam quondam Angliæ Reginam cum Epiſcopis & Abbatibus terræ ſuæ honorifice nuntiis tradens, Belæ Regi Ungariæ in legitimam uxorem conceſſit, nec non ipſis nuntiis regalia dona ſufficienter largitus eſt. At accepta a Rege licentia nuntii cum Regina gaudentes in Ungariam redierunt.* Guilelmus de Nangis in chron. ad h. a. *Soror Regis Franciæ Philippi, prius uxor Henrici iunioris Regis Angliæ defuncti in Ungariam ducitur Belæ*

Re-

Galliis valediceret, parentavit adhuc XIII. Kal. Sept. Gaufrido Britaniæ Comiti Conjugis ſui prioris fratri pridie defuncto, fratremque ſuum Philippum ea morte graviter afflictum, pro viribus (24) ſolata eſt. Sed jam inſtabat tempus ad alterum ſponſum demigrandi. Igitur VIII. Kal. Septembris magno in comitatu Pariſiis abiit, nunquam poſthac eos viſura, Pannoniosque ſuos (25) petiit. Ingreſſi ſunt in ejus comitatu Hungariam Kyquinus & Renoldus inſignium familiarum authores. (26) Qua feſtivitate, quoque die hæ alteræ nuptiæ celebratæ fuerint, nusquam adnotatum reperi. Vix tamen hæc peracta fuere, cum prior ſocer Rex Angliæ Henricus ab ea poſtulavit, ut doti ſuæ, caſtellis videlicet & vicis Vilcaſſinenſibus, jurique, quod in ea mortuo absque hærede marito haberet, renunciaret. Illa ſeu ſimplicitate animi inter gaudia haud præſentis, ſeu gratitudine ob ſecundas nuptias conciliatas devicta, ſeu

---

Regi Ungariæ deſponſandi. Rob. de Hoveden. ad h. a. *Eodem anno Philippus Rex Francorum dedit Belæ Regi Ungariæ Margaritam ſororem ſuam in uxorem, quæ exiterat Regis Henrici Angliæ filii uxor.* Conf. chron. Turon. ad h. a. Radulf. Goggeshale ad an. MCLXXXIII. Nicol. Trivetus, Albericus, Vincentius Belvacenſis ad an. MCLXXXV. qui poſtremi ſe ad nuncios primum miſſos videntur reflexiſſe.

24) Rigordus op. & loc. cit.

25) Radulf. de Diceto ad h. a. *Margareta ſoror Philippi Regis Francorum relicta bonæ memoriæ Regis Anglorum Henrici filii Henrici Regis Anglorum in magno comitatu receſſit Pariſiis VIII. Septembris, quam Bela Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Rex ſuſcepturus eſt in uxorem.*

26) Thurocz P. II. c. XV. perperam tam Margaritham quam horum ingreſſum ad Belam I. transfert. *Kyquini quidem, & Renoldi origo eſt de Hiſpania cum Regina Margarita Coniuge Belæ Regis filii Zaar Ladislai Pannoniam adeuntium.*

ſeu conventionem nupernam nunc impletura poſtulatis adſenſit lubens: quo velut juſtitiæ clypeo munitus Henricus terram relictam adverſus Philippum armis vindicandam exiſtimavit. (27) Quare non mirandum eſt, ſi Margarita etiam poſt mariti alterius obitum patriam non reviſit, cui accepta eſſe non poterat. At Hungariæ tanto memorabilior exſtitit, quanto amplior ei campus fuit virtutis demonſtrandæ, cumprimis, ubi cum Rege ſuo Friderico Imperatori Terram Sanctam cum exercitu petenti an. MCLXXXIX. occurrit, (28) æmulata ejus magnificentiam nihil prætermiſit, quo comprobaret quam magni faceret zelum illorum Chriſti militum, & quam ſibi cordi eſſet virtutis experiundæ occaſio. *Regina autem* (verbis Arnoldi Lubecenſis (29) exprimo) *dedit Domino Imperatori tentorium optimum, & domum deſuper de Scarlatico, & tapetem, juxta latitudinem, & longitudinem ipſius domus, & lectum culcitra & operimento precioſo magnifice ornatum, ſedemque eburneam cum cuſſino lecto præpoſitam: quæ quantis ornatibus exculta fuerit, præſentis paginæ depromere nequit inopia. Et ne quid excogitatis deeſſet deliciis, albus & parvus venatorius ſuper tapete diſcurrebat caniculus. Poſt hæc Regina horum auctrix munerum aliquid a Domino Imperatore petitura proceſſit, ſcilicet, ut ipſius*

27) Gervaſius Mon. Dorobornenſis ad h. a. *Egerat enim Rex Angliæ per internuncios, ut iunior Regina Angliæ, uxor videlicet filii ſui Henrici, filia autem Regis Ludovici & huius ſoror Philippi iam vidua Regi nuberet Hungariæ, ut puella Regis iunioris vidua doti ſuæ, caſtellis & villis cederet, dum in remotioribus partibus ſe viri alterius amplexibus ſociaret.*

28) Gottfridus Monachus S. Pantaleonis ad h. a. *Occurrit ei Rex cum Regina, obtulitque Imperatori tentorium operoſum, quod portare vix poterant tria plauſtra, & alia inſignia.*

29) Lib. I. c. XXXIX. T. II. Leibnitii p. 677.

interventu frater Regis, per quindecim annos ab ipſo Rege in captivitate detentus, a captivitate liberaretur. Rex autem, qui tanta devotione Imperatorem ſuſceperat, in nullo volens eum contriſtari, non ſolum fratrem ad petitionem ipſius a captivitate laxavit, ſed datis duobus millibus Ungarorum, ipſum ad præparandam, ſive oſtendendam viam Imperatorem præcedere fecit. Hæſerit attonita ad hos magnanimitatis, & pietatis actus Hungaria, Margarita vero haud dubie pium peregrinorum exercitum ardentibus votis fuerit proſecuta, donec ipſa aliquando idem iter facere poſſet. Obtigit illi ſors hæc poſt ſeptennium; Conjuge enim ſuo an. MCXCVI. IX. Kal. Maji (30) defuncto, ipſa

30) Chron. Admontenſe, Clauſtroneoburgenſe, Auſtrale, Albericus, aliique concorditer hunc annum mortis Belæ ſignant. At vero idem certior fit ex diplomatibus Regiis Emerici filii ſuos Regni annos inde computantis. Sic (apud P. Nic. Schmitth. in Epp. Agrienſ. T. I. p. 108. & 110.) diploma, quo Eccleſiæ Strigonienſi tributum fori ſui urbani confirmat, & quosdam fundos Regios concedit, clauditur: *Datum per manus Deſiderii, Aulæ noſtræ Cancellarii & Præpoſiti de Scybin dilecti & fidelis noſtri. Anno milleſimo ducenteſimo primo, Regni autem noſtri anno quinto.* Et alterum, quo eadem petente Job Archiepiſcopo iterum confirmat, augetque: *Datum per manus Deſiderii Præpoſiti Scybinenſis dilecti & fidelis noſtri anno milleſimo ducenteſimo ſecundo, Regni autem noſtri anno ſexto.* Dies aliquantum variat. Albericus ait mortuum *in cœna Domini.* Necrologium Admontenſe: *VIII, Kal. Maii Bel Rex Ungariæ.* Keza *nono Kal. Maii feria tertia.* Poſtremi duo conciliari poſſunt, ſi dicamus eum nocte inter utramque diem media deceſſiſſe; Albericus diem primum morbi indicare videtur: quod etiam in aliis ſæpius factum adverti. Licet autem in chronico Budenſi, quod parte priori ipſum Kezæ opus eſt, annus MCXC. legatur, nullum tamen mihi dubium eſt ſcriptoris errori, cui ſextus numerus exciderit, id tribuendum eſſe; ſecus enim Keza annos Regni perperam computaſſet; quin & feria alteri anno vicino non congruit.

ipſa anno ſequenti honeſto aſſumpto comitatu ſacro peregrinantium cœtui (31) admixta, Palæſtinam adiit, ibique, velut moritura adveniſſet, eodem adhuc anno (32) ineunte menſe Septembri (33) Ptolemaide ad beatam vitam tranſiit. Mortem ejus (libet adjuncta ſubjicere, quo certior eadem habeatur) iisdem diebus ſecuta eſt altera Henrici Hieroſolymorum Regis, Margaritæ e ſorore Maria nepotis. Utrique per Angliam, Galliam, & Hungariam juſta ſunt ſoluta. (34) Maria vero ſoror Comes Campaniæ gemino ſolatio orbata brevi tertium funus (35) acceſſit. Prolesne aliquas Marga-

---

31) Robertus de Monte ad h. a. *Archiepiſcopus Moguntiæ cum multitudine Alemannorum, & cum Rege Hungariæ & Regina profectus eſt in Palæſtinam contra Saracenos.* Regem iam mortuum ſatis demonſtravi; potuit tamen votum Belæ alicubi Roberto occurriſſe, quod puarit ab eo perfectum.

32) Hovedenus ad h. a. *Eodem anno Margarita quondam Regina Angliæ poſtea Regina Hungariæ obiit apud Accon.* Andr. Dandulus in chron. lib. X. cap. III. col. 318. ad annum quartum Henrici Danduli Ducis id eſt an. MCXCVI. *His diebus mortuo Bela Rege Hungariæ Emericus filius ſucceſſit in regno, Regina autem cum multo apparatu Achon ivit, & cito obiit.*

33) Hanc anni partem ſic oſtendo: Margarita iisdem diebus obiit ante feſtum S. Mauritii, teſte Arnoldo Lubecenſi lib. V. c. II. igitur ſub initium Septembris Margaritæ mors ponenda eſt.

34) Bonfinius Dec. II. lib. VII. p. 215. ed. Poſon.

35) Chron. Turon. ad an. MCXCVII. *Tunc Regina Hungariæ ſoror Philippi Regis Franciæ, mortuo marito, Ptolemaidem tranſiit, ibique paulo poſt obiit. In eadem quoque urbe, & eisdem diebus Henricus Comes Campaniæ, qui uxore Marchionis accepta ibidem principabatur, dum in ſuperiori palatii ſui cœnaculo cuidam feneſtræ vertendo ſe applicat, miſerabili præcipitio colliſus exſpirat. Cuius mater, Maria nomine, quæ*

Co-

garita Belæ genuerit, non comperi; quos enim ei Bonfinius (36) & Piſtorius (37) attribuunt, Andream & Emericum, illos privignos jam exercitibus ducendis aptos accepit, dum ſecundum nuberet.

Cæterum aliam adhuc Conjugem Belæ adjecerit, qui in chronico Auſtr. incerti authoris apud Pezium (38) ad an. MCLXXXIX. legerit: *Rex etiam Bela Ungariæ gener noviter Græciæ Regis factus.* Verum hic *Socerum* intelligi ex ſupra dictis conſtat, ubi Margaretham Belæ filiam Iſaacio Angelo Imperatori an. MCLXXXVII. nupſiſſe demonſtravi. Pertinet igitur hæc vocis *Gener* interpretatio ad illa exempla, quæ du Cange in gloſſario ad hanc vocem refert.

Comitatum Campaniæ viriliter regebat, cum de morte filii & ſororis ſuæ Reginæ Hungariæ nuncium accepiſſet, nimis doluit, nec multo poſt obiit. Franc. Pipinus Ord. Præd. in chron. lib. II. c. XVI. (T. IX. S. R. I. Muratorii col. 640.) *Regina Hungariæ anno primo Ottonis, Philippi III. Regis Franciæ ſoror, quum poſt mortem viri ſui multo apparatu Terras Marinas peteret, iamque Ptolemaidem appuliſſet, paulo poſt defuncta eſt. Sed & in eadem urbe, iisdemque diebus Comes Trecenſis Henricus nepos eius, qui Rex in Terra Sancta fuerat conſtitutus, dum in ſuperiori cœnaculo palatii ſui feneſtræ innitendo ſe applicaret, miſerabili præcipitio collapſus exſpirat, cuius mater, nomine Maria ſoror eiusdem Philippi Regis Francorum ex parte patris, & ſoror Ricardi Regis Angliæ ex parte matris erat, & comitatum Campaniæ ſatis ſtrenue viriliterque regebat: quum de filii morte ac ſororis ſuæ Reginæ Hungariæ nuntium accepiſſet, nimis indoluit, & non multo poſt obiit.* Eadem Guil. de Nangis ad ad h. a. Eadem Bernardus Guidonis in vita Clem. Papæ III. ſed perperam morti Friderici Imp. conjungit.

36) Loc. ſupra cit.

37) In Genealogia Regum Hung. Familia prima.

38) Tom. I. ſcriptor. rer. Auſtr. col. 566.

fert. (39) Pro coronide avos Paternos & Maternos Margaritæ ſubjicio:

Philippus I. Rex Franciæ, } Ludovic. VI. Rex Franciæ.
Bertha Friſiæ Com. }

Humbert. II. Com. Maurian. } Adelais Com. Maurian.
Gilla Comes Burgundiæ. }

Ludovic. VII. R. F. } Margarita.

Raymundus Comes Gallæc. } Alphonſ. VII. Imp. Hiſpan.
Urraca Princ. Reg. Legion. }

Raym. III. Comes Barcin. } Berengaria Comes Barc.
Dulcia Comes Provinciæ. }

Conſtantia.

39) Pontus Heuterus de Auſtr. Orig. cap. XV. aſſerit: *Helenam vel Geiſam Belæ III. filiam, Leopoldi gloriosi Ducis coniugem fuiſſe coniicio;* cui refellendo incumbere non eſt opere pretium.

ALISIA

SPONSA EMERICI REGIS.

Duo præcipue miratus ſum aliquando in Emerico, primum quod adeo longo tempore cœlebs perſtiterit; ſaltem de Conjuge ejus aliqua ante Conſtantiam nihil cognoveram; alterum quod adeo largus & beneficus fuerit in Aliſiam Principis Antiocheni filiam. Equidem ſi verum eſſet ipſam, quemadmodum Raynaldi Principis erat nata, ita etiam Conſtantiam Matrem habuiſſe, nihil peculiare fuiſſet, cum Materteram in ea coluiſſet; (1) verum nec Raynaldus Emerici avus fuit, quod infra oſtendam, nec Conſtantia Aliſiæ Mater, ſed potius altera Raynaldi Conjux Stephania Krachii, & Montis regalis Principiſſa Aliſiæ Mater fuit, quamvis Bern. Theſaurarius nullos liberos ex ea ſuſceptos dicat. (2) Id mors Conſtantiæ ante an. MCLIII. haud improbabi-

---

1) Albericus ad an. MCLXVII. *Raynaldus de Caſtellione — — — duxit in uxorem Dominam Civitatis relictam Principis Raymundi, & factus eſt Princeps Antiochiæ, de qua Domina tres genuit filios — — — Tertiam Principis Raynaldi filiam nomine Alaidem duxit Marchiſius Eſtenſis in Italia.*

2) Cap. CXXXIII. col. 770. *Eodem quoque tempore* (Damiatæ perditæ) *Principiſſa Antiochiæ, quam Amalricus Rex Raynaldo Principi in uxorem dederat, defuncta eſt — — — — Filius autem Principiſſæ defunctæ — — Boamundus nomine, poſt mortem Matris Principatum, qui ſibi ſuccedebat, iure naturæ accepit. Raynaldus vero Hieruſalem perrexit, cui Rex relictam Domini Krach & montis regalis copulavit in coniugem, de qua nullos liberos genuit.*

biliter figenda, (3) & nuptiæ Aliſiæ an. MCCIV. celebratæ mihi videntur indicare. Attamen Aliſia in Hungariam traducta, Bela omnes Terræ Sanctæ incolas peculiaribus favoribus proſequente, & Sponſa Emerico deſtinata fuit. Res morte Belæ imperfecta manſit, (4) quippe Emericus datis bonis quibusdam Aliſiæ (haud dubie illis, quæ dotis cauſa erant decreta) ad matrimonium cum Conſtantia Bohema contrahendum tranſiit. Aliſia bonorum ſuorum ſecuritatem ab Innocentio III. his litteris impetravit. (5)

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum DEI dilectæ in Chriſto filiæ Nobili mulieri Aliz filiæ quondam Principis Rainaldi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota, quæ a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Eapropter dilecta in Domino filia tuis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonam tuam cum omnibus bonis, quæ impræſentiarum poſſides, vel in futurum juſtis modis, præſtante DEO, poteris adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus. Spe-

3) Boamundus Conſtantiæ filius iam an. MCLXIII. imperabat, & ſuorum progenitorum meminit, uti & an. MCLXVII. V. Pauli cod. dipl. Melit. Tom. I. n. XXXVII. & XLIII. quin iam MCLX. captivus abductus fuit Raynaldus, & a Conſtantia ſeparatus.

4) Godefridus Monachus S. Pantaleonis (T. I. Freheri. p. 366.) *Bela Rex Ungariæ vita decedens duos reliquit filios Hemmeradum & Andream, quorum priori regnum dedit, & filiam Principis Antiochiæ, alteri quædam Caſtella & prædia magna atque ad peregrinationem Iheroſolymitanam, quam ipſe voverat, peragendam infinitam pecuniam.*

5) Habentur apud Murat. del. antichita Eſt. P. I. p. 379.

cialiter autem donationem quadringentarum marcharum annui reditus, & centum manſionum ſervorum, villæ etiam, quæ dicitur Tornai & aliarum quatuor villarum cum omnibus pertinentiis ſuis, & aliorum tam in annuis veſtibus, quam aliis factam tibi a Kariſſimo in Chriſto filio noſtro H. illuſtri Rege Ungariæ, ſicut in ejusdem Regis autentico continetur, & tu ea juſte poſſides & quiete, auctoritate tibi Apoſtolica confirmamus, & præſentis præcepti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum &c. Datum Romæ apud S. Petrum XVI. Kal. Julii Pontificatus noſtri anno primo.

Divitiis his cumulata Aliſia natalium ſuorum ſplendore & virtute propria ornata facile ſponſum reperit. Is Azzo Marchio Eſtenſis fuit hujus nominis ſextus, qui miſſis Alberto de Baone, Alberico Nandemillio, Martino de Mediolano & Franciſco de Calderio ſponſam ſibi poſtulavit, & impetravit. Deſponſatio Clemenæ in Forojulio anno MCCIV. celebrata fuit, ejusque cauſa ſequens inſtrumentum erectum fuit:

In nomine Domini Amen. Anno a Nativitate ejusdem MCCIIII. Indictione ſeptima die Sabbati, qui fuit octavus exeunte Februario in Provincia dicta Forumjulii, in Eccleſia Sancte Marie de Clemena in preſentia Domini Pelegrini Dei gratia Sancte Aquilegienſis Eccleſie Patriarche, Uberti Dei gratia Vincentini Epiſcopi, Mathæi Dei gratia Cenethenſis Epiſcopi, Hermani, Waithonis, Bertholdi, Stephani Capellanorum, & ſcribarum ſupraſcripti Domini Patriarche, Alberici Canonici Paduani, Alberti Canonici Vincentini, Monfredi Eſtenſis Archipresbiteri; in preſentia quoque Domini Wecilonis quondam Gabrielis de Camino, Warnerii de Pulcrano, Frederici de Cauriaga, Diatrichi de Fontana bona, Frederici de Pito, Ottolini de Mainardis de Ferraria, & aliorum quamplurium Baronum & Magnatum Lombardie & Marchie Tarviſine, atque Fo-

ri,

rijulii. Ibi warentavit & profeſſus fuit Dominus Azo Eſtenſis Marchio, ſe accepiſſe in dotem a Domina Aliz filia quondam Rainaldi Principis Antiocheni, quam in matrimonio ſibi recipiebat, duo millia marcharum argenti, de quibus exceptioni ſive præſcriptioni non numerate, vel extimate dotis aut pecunie renunciavit. Unde jure pignoris & donationis propter nuptias inveſtivit ſupraſcriptam Dominam Aliz ſponſam ſuam nominative de tantis ſuis bonis & poſſeſſionibus mobilibus, & immobilibus, ubicumque habeat, vel acquiri debeat, in electionem ipſius Domine, recipiendo, quæ valeat duplum ſupraſcripte dotis & donationis. Et tali quidem pacto inter eos inſerto, videlicet: quod ſi caſu contigerit, ſupraſcriptam Dominam Aliz ante ſupraſcriptum Dominum Marchionem conſtante matrimonio ſine communibus liberis decedere, liberum ſit ipſi Domine de ſola dote ſua condere teſtamentum. Et e contra ſi caſu contigerit, ſupraſcriptum Marchionem Azonem ante prædictam Dominam Aliz conſtante matrimonio ſine communibus liberis decedere, tam dos quam donatio propter nuptias ipſi Domine reſtituantur, licet ex ipſo prolem non ſuſceperit. Si vero Heredem maſculini ſexus ipſis habere contigerit, dote & donatione propter nuptias deducta, & heredi Domine ipſius reſtituta, tota hereditas inter heredes dividatur. Si vero filium (lege filiam) habuerit, & ſupraſcriptam Dominam Aliz premori contigerit, tota dos filie integre concedatur, preter id quod ei Pater, vel frater contradiderint & propria liberalitate contulerint. Si vero ſupraſcripta Domina alii nupſerit, dotem ſuam ſupraſcriptam & donationem propter nuptias ſecum transferre valeat; & filiam ſuperſtitem heres Marchionis ſecundum nobilitatem ſuam nuptui tradere teneatur. Quo facto illa totum jus ſuum, quod in hereditate haberet, refutare debeat: alioquin ipſa jus ſuum totum ſecundum conſuetudinem terre illius integre repetere valeat. Si vero ipſis jugalibus decedentibus ſola filia ſuperſtes remanſerit, tota hereditas ad ipſam

revolvatur. Promiſit etiam & convenit ſupraſcriptus Marchio ſupraſcriptam Dominam tamquam uxorem ſuam honeſte tractare, profitendo Albertum de Baone, & Albericum de Pandemilio, & Martinum de Mediolano, & Franciſcum de Calderio ad hoc nuntios fuiſſe. Et quicquid ſuper his in Curia Regis Ungarici pro ipſo Marchione cum ipſa Domina fecerunt, & pepigerunt, firmum & ratum habuit. Qui quatuor ſupraſcripti ad preſens confeſſi fuerunt ſe ad ſancta DEI Evangelia in ipſius Marchionis anima juraſſe, quod per ipſum Marchionem ſic erit obſervatum. Et ſi Marchio vel ejus heres, vellet malignare, aut contra ſupraſcripta pacta venire, ipſi quatuor totis viribus reſiſtent. Inſuper confeſſi fuerunt ſupraſcripti quatuor, ſe in propriis animabus ſuis juraſſe, ſic per omnia obſervaturos, obligando omnia bona ſua jure pignoris ob ſic obſervandum. Præterea juravit ad preſens Monfredus Comes Paduanus corporaliter ad ſancta DEI Evangelia, quod bona fide & ſine fraude ea que ſupraſcripta ſunt, & promiſſa a ſupraſcripto Marchione, attendi faciet, & obſervari per ipſum Marchionem & hæredes ejus, ipſi Domine & ejus heredibus. Hoc idem juravit Skinella filius Ugolini Alberti Tertii. Hoc idem juravit & Marſilius de Cararia & omnes iſti tres ſunt de Padua Civitate. Hoc idem fecit & Bonifacius Comes Veronenſis, idem & Albericus & Petrus de Lendenaria, Vivianus Engeberii & omnes iſti quatuor ſunt de Veronenſi Civitate. Hoc idem juraverunt Salingvera quondam Taurelli de Ferraria, & Marcheſinus de Mainardis & Jacobus de Fontana & omnes iſti tres ſunt de Ferrarienſi Civitate. Preterea predictus Marchio Azo ibidem deſponſavit, & anulo ſubarravit ſupraſcriptam Dominam Aliz per ſuam legitimam uxorem, ſupradicto Domino Patriarcha per verba de preſenti ad invicem inter eos electionem faciente.

Si-

Signum manus . . . . . Supraſcripti Marchionis.

Signum manus . . . . . Supraſcripte Domine, qui & que juſſerunt hoc fieri.

Signum pro ſupraſcriptis teſtibus . . . . . qui ad hoc rogati interfuerunt.

Et ego Bellelus glor. Dni. F. Romanorum Imperatoris Tabellio interfui, & hoc & alia quatuor inſtrumenta in eodem tenore conſonantia exinde ſcripſi & compoſui.

Ego Odolricus Imperialis Aule Notarius interfui & me ſubſcripſi.

Porro ne pecuniæ ſuæ inutiles jacerent, & ut, quod fidelis Conjugis eſt, augmento domus ſuæ proſpiceret, Aliſia propriis ſumptibus varias villas emit, quas in tutelam ſuſcepit Philippus Romanorum Rex. In cujus teſtimonium eſt ſequens inſtrumentum.

Philippus ſecundus Dei gratia Romanorum Rex & ſemper Auguſtus. Regalis eminentie provida circumſpectio eos in ſuis deſideriis conſueta eſt diligentius exaudire, per quorum ſollicitudinis operam poſſunt utilitates & commoda Imperii beneficiis poſcentibus interdum diligentius promoveri. Qua ſane conſideratione habita ad omnium Imperii fidelium preſentis etatis & poſteritatis ſucceſſure notitiam duximus perferendam. Quod nos intuentes ſinceram fidem ac devotionem, quam erga progenitores noſtros ſemper habuit & circa nos inceſſanter gerit dilectus conſanguineus noſter Azo Marchio Eſtenſis, animadvertentes quoque obſequia fructuoſa, que ipſe Imperio & nobis impoſterum poterit exhibere, regia liberalitate damus, concedimus, & confirmamus ſibi & uxori ſue Domine Aliſie, & eorum heredibus in rectum & perpetuum Feudum cum Imperiali & regali per omnia jurisdictione villas ſubnotatas in Epiſco-

ſcopatu Vicentino ſitas: Prexanam, Coloniam, Baldariam, Simellam, & Bagnolum, cum ſilvis, pratis, paſcuis, agris, molendinis, piſcationibus, & cum omnibus appendiciis eorum & tenimentis, ſicut predicta Domina Aliſia de Theſauro ſuo illas comparavit. Ut deinceps ipſa, & Maritus ſuus Azo Eſtenſis Marchio, cum plenitudine totius poteſtatis eas habeant, & cum quiete exerceant, & exigant, non ſolum per ſe ſed etiam per nuntios ſuos rationes, & jura univerſa. Si vero ſine heredibus maſculis aut feminis ſimul procreatis predictarum perſonarum alteram premori contingat, decernimus, ut ſuperſtes Marchio, aut ejus uxor Domina Alis, nec non heredes eorum maſculi ſeu femine ſine omni repulſa in eadem ſuccedant hereditate, & in prememoratis poſſeſſionibus plenam & omnimodam, ſicut premiſſum eſt, pro voluntate ſua diſponendi habeant facultatem. Et licet legum ſanxit auctoritas, feminas a civilibus & publicis officiis poſſe removeri, ex certa tamen ſcientia indulgemus. Permittimus quoque, ut deficientibus maſculis femine, que ex ipſo Marchione & uxore ſua progenite fuerint, pre aliis mulieribus eo gaudeant honore, & beneficio, ut tanquam legitime heredes in eisdem bonis ſuccedant, & que perſonis feminei ſexus jure regulari denegata ſunt officia, per ſe & ſuos vicarios libere poſſint exercere. Statuimus itaque, & regio edicto firmiter precipimus, ut nulli perſone humili vel alte, Eccleſiaſtice vel ſeculari licitum ſit huic noſtre conceſſioni, & confirmationi contradicere, vel ipſam aliquo improbitatis auſu in irritum revocare. Quodqui fecerit, in ultionem temeritatis ſexaginta libras auri puriſſimi componat, dimidium Fiſco noſtro, reliquum vero paſſis injuriam. Ad cujus rei evidentem in poſterum notitiam hanc paginam exinde conſcriptam ſigilli noſtri munimine juſſimus corroborari.

Teſtes hujus rei ſunt Conradus Spirenſis Epiſcopus, Henricus Argentinus Epiſcopus, Fridericus Dux Lotharingie, Comes Alber-

bertus de Tagispurch, Comes Libertus de Werda, Comes Rodolfus de Haviſpurc, Willelmus Viennenſis & Maſſocomenſis Comes, Henricus de Kuningiſpere (Kunigiſperc) Henricus de Hiſten, Conradus de Horburc, & fratres ſui, Cono de Mintinberc, Fridericus Schowinberc, Sefridus Mareſcalcus de Hagnowe, & alii quam plures.

Datum apud Argentinam Anno Dominice Incarnationis Milleſimo CCVII. XIIII. Kalendas Julii, Indictione decima.

Genuit Aliſia Azonem, qui dein Septimus dictus imperium tenuit, & Conſtantiam. Verum antequam adoleſcerent, Patre orbati ſunt. Is Veronæ an. MCCXII. menſe Novembri fatis ceſſit. Id memorabile ſub poſtremos vitæ dies Conjugis ſui experta eſt, ut eum ſupremis in tabulis ſui oblitum acciperet. Verum is eodem adhuc die codicillum ſequentem adjecit:

Anno Domini MCCXII. Indict. XV. die Dominico, Tertio decimo exeunte Novembre. Cum unicuique liberum ſit arbitrium, liberaque poteſtas res ſuas & bona prout placet, legitime diſpenſando legare, relinquere, & judicare: ideo quidem in DEI nomine ego Azo Eſtenſis Marchio corpore infirmus, mente vero & ſenſu exiſtens integer, ſi DEUS me judicaverit de hac infirmitate, relinquo uxori mee Domine Aliſie, a qua fateor me in dotem habuiſſe duodecim milia Marcas argentei primo & poſtmodum Mille Marcas argentei in alia parte, preter illud, quod de ſuo ſolvit, ſcilicet MMMM. libras denariorum Veronenſium in emptione Colonie. Relinquo Coloniam univerſam, ſecundum quod ad me ſpectat, & quartam partem, & dimidiam curie Solicini. Et iſtud habeat predicta Uxor mea, donec integre Filii mei ei ſolverint predictas tres Milias Mar-

cas argenti, & MMMM. libras Veronenſium. Et volo, quod Maſnade mee de Solicino maſculi & femine ſerviant prefate Uxori mee, donec vixerit. Filee mee Conſtantie relinquo ducentas uncias auri. Et volo, quod ſi hoc meum teſtamentum non valuerit jure teſtamenti, quod valeat jure codicilli, vel cujuslibet alterius ultime voluntatis. Et rogo & precipio, & volo, quod predicti Filii mei debeant prefatam Uxorem meam honorare, & omni reverentia cuſtodire, & facere.

Actum fuit hoc ſolempniter Verone ſupra Domum Domini Rodolfi de Lendenaria.

Teſtes ad hoc ſpecialiter rogati fuerunt & convocati a dicto Teſtatore, videlicet Dominus Tiſius de Campo Sancti Petri, Dominus Wilelmus de Lendenaria, Dominus Dioniſius judex, Dominus Gondolfus de Caſtronovo, Balantus ejus Nepos, Dominus Jacobus de Sancto Andrea, Dominus Aimericus de Bononia, Finus Maſarius, Jacob Notarius.

Ego Adeſtus Notarius ſacri Palacii interfui, & hoc juſſus atque rogatus a ſupraſcripto teſtatore ſcripſi.

Præſtitere filii, quod Pater juſſerat, & privignus quidem Aldrevandinus trium ſolum annorum ſpatio Aliſiæ favit præpropere mortuus, Azo vero, quemadmodum ipſa tenelli cauſam ſemper tuita eſt, ita viciſſim cum regimen adiit, illam coluit. Ultima Aliſiæ memoria de an. MCCXXXV. cum Azo filius Monaſterio de Carcere donationem fecit *præſente & conſentiente ipſa Domina Adelice ſua Matre & ejus verbo*; (6) Vixit adhuc an. MCCXXXVI. (7) Fœmina multis nominibus felix, ſed hoc præcipue, quod Privignam & Neptem Beatrices beatas voce populi & ſignorum teſtimonio nacta fuerit.

6) Murat. P. I.

7) Murat. P. II. p. 21.

CON-

CONSTANTIA

EMERICI REGIS CONJUX UNICA.

Conſtantia Alphonſum Caſtellæ Imperatorem, & Rikiſſam Ruſſiæ Regibus ortam Parentes (1) ſortita quidem, ſed quod majoris facio, Divum Leopoldum Auſtriæ Marchionem abavum (2) venerata; videtur ſub an. MCXCIX. deſponſata. Nuptiæ Strigonii fuerunt celebratæ, quibus Henricus

1) Albericus ad an. MCXLI. p. 290. *Rikiſſa Imperatori Caſtellæ Alfonſo peperit Conſtantiam, quæ primo fuit Regina Hungariæ &c.* Perperam igitur in Hermanni Corneri Chronico (T. I. Ecc. col. 863.) dicitur *filia Petri Aragonum Regis*, qui frater fuit.

2) En Schema genealogicum.

S. Leopoldus IV. Auſtr. Marchio.

Henricus II.	Agnes nupta Wladislao Polono.
Leopoldus VI.	Rikiſſa nupta ſecundum Muſuch Regi Ruſſiæ.
Leopoldus VII.	Rikiſſa nupta Alphonſo.
	Conſtantia.

Boh. Princeps interfuit, referente Dubravio. (3) In Ladislao, quem filium enixa erat, magnas Hungariæ ſpes oſtendebat. Et iſtum quidem an. MCCIV. coronatum vidit. Verum Emerico Rege ſuo, eodem adhuc anno, Kal. Dec. fatis functo, in Leviro Andrea, quem maritus ſupremis tabulis tutorem jusſerat, æmulum reperit. Ille ſe totum Regem gerere, Regem puerum, Matremque ejus velut captivos tenere, reditus eisdem promiſſos (4) negare, immo theſauros ab eadem in uſum filii futurum apud Equites S. Joannis Strigonii depoſitos (5) auferre, bonis interea verbis Innocentium III. Papam frequentibus litteris (6) ei, aliisque cauſam pueri Matrisque commendantem ſuſpendere. Diviſo ſic imperio, ut pars Andream ſequeretur, pars in fide adhuc perſiſteret, Conſtantia nihil tutum rata, convaſatis rebus, ſublataque ſecum corona, in comitatu nonnullorum Epiſcoporum & Procerum eluſis cuſtodiis ſeſe cum filio in Auſtriam recepit ad Leopoldum Ducem, conſanguinitate ſibi & filio junctum. (7) Et jam inſtabat bellum, cum

---

3) Lib. XIV. p. 88.

4) Innocentius epiſtolar. Lib. VIII. ep. 38.

5) De his vide infra Bullam Pontificiam.

6) Ep. 36. 37. 38. 39. 40. 41. qua Colocenſi & Waradienſi Præſulibus injungit, ut Ladislai Regis & Reginæ familiæ moleſtiam exhibentes compeſcant; Ep. 42. Colocenſis Eccleſiæ Epiſcopos Suffraganeos Regi puero fidos eſſe jubet.

7) Albericus ad an. MCXCV. p. 406. *Intrante hyeme mortuus eſt Dux Auſtriæ Leopoldus eiusdem Oppidi* (Viennæ) *Dominus, qui de ſorore Regis Belæ Hungariæ Ducis duos habuit filios Duces ſibi invicem ſuccedentes, Henricum & Leopoldum.* Sed en Schema conſanguinitatis Ladislai & Leopoldi:

Gey-

cum mortuo Ladislao, ſex menſibus & quinque diebus ab Emerici Conjugis morte alia facies rerum inducta eſt. Quid hic ageret Conſtantia? Rediret in regnum unde fugiſſet? In Auſtria precario ſubſiſteret? Illa ad fratrem ſuum Petrum redire elegit, quo eandem Leopoldus ſalvam & incolumem reduxit. (8) At vix regreſſa in

Geyſa II.

Bela III. — Agnes nupta Leopoldo VI.

Emericus. — Leopoldus VII.

Ladislaus.

certe nullius fuit aptior authoritas atque Leopoldi ad pacem reſtituendam, cuius tutelæ Emericus & Andreas an. MCXCIX. bellum ſacrum meditantes regnum ipſum committendum iudicarunt V. Godefr. Annal.

8) Chron. Adm. ad h. a. T. II. Pezii col. 195. *Regina Hungarorum Heimerici Regis vidua ſecum habens quosdam Epiſcoporum & Optimatum Hungaricorum, qui propter iusiurandum, quod infantulo Regi iuraverant, adhuc in parte eius ſtabant per vim occupatis & cuſtodiis terminorum Ungarici Regni verſus Wien, ducens ſecum filium cum theſauris & divitiis magnis & comitatu copioſo egreſſa eſt, & a Liupoldo Duce, de quo propter affinitatem plurimum præſumebat, magnifice ſuſcepta. Paucis transactis diebus Ladezlaus iafans moritur, corpusque illius a Jaurino Epiſcopo Albam translatum, & in ſepulcro Regum Regio more tumulatum eſt, ſicque ſedata eſt controverſia grandis, quæ inter Ducem & Andream orta fuerat pro repetenda tam Regina quam theſauris ſeu corona, quam ſimul aſportaverat, in tantum ut contractis utriusque exercituum copiis inter ſe dimicaturi reſiderent. Poſt hæc Leupoldus Dux Reginam liberaliſſime habi-*

alterum matrimonium deſtinata fuit. Propoſitæ nuptiæ cum Friderico Siciliarum Rege, attamen non mox confectæ, ſive quod hujus ætas repugnaret, ſive quod non ſtatim in conditiones conveniretur. Datæ jam ſunt menſe Januario ea de cauſa an. MCCVII. literæ (9) an. MCCVIII. pacta ſanciuntur, eo adjecto, ut ſi Fridericus ante matrimonium initum moreretur, regnum tamen Ferdinando Conſtantiæ fratri cederet. (10) Nuptiæ celebratæ an. MCCIX. Panormi, quo eam Frater ejus Alphonſus Provinciæ Comes deduxerat, ipſe ibidem cum pluribus Proceribus lue ingraveſcente ſublatus. (11) Matrimonium priori felicius, nec niſi ſemel, ſed

---

bitam, & honoratam, cum obſequio Regali in terram Nativitatis ſuæ fratri ſuo Arragum Regi decenter retransmiſit. Conf. Anonym. Leob. T. I. Pezii col. 801. Vitus Arenpeck col. 1207. de Leopoldo: *Ipſe adiutorio fuit Dominæ Conſtantiæ filiæ Regis Aragonum relictæ olim Emmerici Regis Hungariæ, ut pacifice cum bonis ſuis ex Hungaria in Arragoniam veniret.* Tab. Clauſtron. col. 1021.

9) Apud Raynaldum ad h. a. n. VI.

10) Indiculus rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum lib. I. (T. III. Hiſpaniæ illuſtratæ, p. 64.) ad an. MCCVIII. *Conſtantia Regina Regis Soror — — — adnitente Sanctia Regina parente, Frederico Siciliæ Regi Cæſarauguſtæ deſpondetur. Hæ nuptiæ ab Innocentio P. M. Frederici Tutore ſanciuntur, qui enixe ſtuduit, ut Fredericus pene puer & Siciliæ arces a Marchoaldo, Regina Conſtantia Frederici Matre defuncta oppreſſæ in libertatem vindicarentur. Ad hæc Pontifex & Regina pactionem fecerant, ſi Fridericus ante matrimonium initum decederet, Siciliæ regnum ab Eccleſia Ferdinando Conſtantiæ fratri, quem Pater ſacro ordine dicaverat, deferretur.*

11) Ibidem ad an. MCCIX. *Alfonſus Provinciæ Comes Barcinone ſolvens Conſtantiam Reginam ſororem ad Fredericum maritum Siciliæ Regem magno Provincialium & Catalanorum Procerum comitatu deducens in Siciliam Februario menſe appellit. Funeſtæ eæ*

ſed tum vehementiſſime, contriſtatam reperi Conſtantiam Petri fratris Regis miſerato fato. Is, mutato præter opinionem animo caſtra Eccleſiæ hucusque ſingulari fortitudine defenſa deſeruit, & haud diu poſt, dum adverſariis ſe unit, paucorum Cruce Signatorum primo impetu obtritus eſt. Corpus diu ſepulchri honore caruit, quod anathematis vinculo innodatus crederetur. Utrumque Conſtantia ſequentibus ad Urgellenſem Epiſcopum datis litteris (12) deploravit: *Conſtantia DEI gratia Imperatrix ſemper Auguſta & Regina Siciliæ Urgellenſi Epiſcopo devoto ſuo ſalutem & dilectionem. Super Fratris noſtri Regis Aragonum, qui tantus erat, caſum miſerabilem & cauſam triſtitiæ multiformem, eo magis angimur, & movemur, quo cum toto tempore vitæ ſuæ miles Eccleſiæ fuerit, & pro fide bellator extiterit, limen & terminus, in quo ſtabat furor ille, ac impetus immanium Barbarorum, cum Apoſtolicæ ſanctitatis fuerit filius ſpecialis, peccatis exigentibus, in ultimis ſuis inventus eſt alius, ut ejus videatur demeruiſſe clementiam, multis ſuis laboribus in longo ſtudio jam quæſitam. Narrare vobis non expedit ſingula, quæ noviſtis, & qui noſtrorum vulnerum eſtis participes, & dolorum, ea affectione puriſſima, qua Regem ipſum & regnum, ac nos ac domum Regiam dilexiſtis. Nos quidem propter locorum diſtantiam diu ignoravimus caſus illos, qui propter regni noſtri cauſas urgentiſſimas celaban-*

nuptiæ morte Alfonſi & plurium Procerum, qui magna vi morbi ingraveſcente Panormi decedunt, fuere. Conf. Anonymus Caſſinenſis in Chronico a Peregrino vulgato, Richardus de S. Germano &c. Attamen appendix ad Chronicon Malaterræ (T. V. Script. rer. Italic. Muratorii p. 603.) alium menſem aſſignat. *Anno 1200.* (1209.) *decimo quinto menſis Auguſti duodecimæ Indictionis Domina Conſtantia de Arragonia applicuit Panormi, & Dominus Rex Fridericus in eodem menſe deſponſavit eam.* Conf. Jo. Mariana lib. XI. c. XXII. p. 488.

12) Apud Raynald. ad an. MCCXIII.

bantur, ubi tandem nobis ſuper iis indignantibus detecti, ſtatim miſimus ad Dominum Papam per F. de Gajeta regium familiarem, devotum, ac fidelem noſtrum preces humiles & devotas; reſponſum & eventum negotii ignoravimus. Quoniam igitur ad Concilium audivimus vos eſſe venturos, credentes in cauſa iſta, quæ juſta eſt, quæ pia eſt, quæ veſtra eſt, veſtro patrocinio relevari, rogamus attentius, & monemus, quatenus ſuper iis, quæ neceſſaria ſunt, conſilium & auxilium impendatis. Super dolorem ſiquidem dolor adjicitur, quod ejusdem fratris noſtri corpus dicitur inſepultum, ut ex eo nobis quotidie moriatur. Erit de ſtudio veſtro, ut ſaltem modico ſit dignus tumulo tot provinciarum Dominus, & capax animus tot virtutum. Erit nihilominus de ſolicitudine veſtra apud Dominum Papam intervenire ſuppliciter ſuper ſtatu pupilli Regis filii, ei ſalubriter ordinando. Injuria ſane Petrus absque ſepultura relictus, velut a cœtu Chriſtiano ſeparatus, qui tamen privilegio gaudebat, ut a nemine ſine ſpeciali Pontificio mandato poſſet ab iſto reſcindi; (13) quare etiam ab Hoſpitalariis Equitibus, quos olim magnis opibus affecerat, terræ mandatus eſt. (14) An. MCCXIII. Fridericum in Regem Germaniæ electum in Germaniam (15) ſecuta eſt. Deinde cum idem Romam proficiſceretur ad coronam recipiendam, hortatu Pontificis (16) eam ad eundem honorem recipiendum ſecum adduxit. Peracta utriusque inaugurationis feſtivitas an. MCCXX. die

13) Albericus ad an. MCCXIII. p. 473. *Factus fuerat vaſallus Domini Papæ, & habebat privilegium, quod ſine ſpeciali mandato Domini Papæ a nullo poterat excommunicari, & idcirco Chriſtianam ſepulturam obtinuit.*

14) Surita lib. II. Cap. LXIII.

15) Richardus de S. Germano col. 991. ad h. a. *Conſtantia uxor dicti Regis in Romanorum Imperatorem electi vocata a viro ſuo in Alemanniam vadit ad ipſum.*

16) Apud Raynaldum ad an. MCCXX. n. XXII.

die S. Cæciliæ V. M. Dominica ultima poſt Pentecoſten ingenti cum plauſu populorum. (17) Rediere tum in mentem theſauri ab Andrea Leviro direpti, & Honorius, quem appellaverat, cauſam inquirendam Eberhardo Salisburgenſi Archiepiſcopo & Carolo recenter creato Seccovienſi, ac Roberto Veſprimienſi Epiſcopis detulit. Literas eo libentius profero, quod nondum editæ ſint, & ſuperius relata confirment:

Honorius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI. Venerabilibus Fratribus - - - Archiepiſcopo Salzeburgenſi, & - - - - Sechovienſi, & - - - - Veſprimienſi Epiſcopis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum apud nos eſſe non debet acceptio perſonarum, qui magnum judicare tenemur, ut parvum, ſicut impotentibus contra potentes ad-

eſſe

17) Honorius ipſe Pelagio Albanenſi Epiſcopo in Terra Sancta commoranti (apud Rayn. n. XXI.) *quia ſcimus animum tuum ſuper ſtatu Imperii expectatione ſuſpenſum, ecce tuæ fraternitati exponimus, nos Dominica ante adventum Domini proxima, chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Fredericum Romanorum Imperatorem ſemper Auguſtum & Regem Siciliæ, & illuſtrem Imperatricem conſortem eius in Principis Apoſtolorum Baſilica cum inæſtimabili alacritate ac pace civium Romanorum ſolemniſſime coronaſſe — — — — Datum Later. XVIII. Kal. Januar. Pontificat. noſtri anno V.* Richardus de S. Germano col. 992. *Fridericus Rex vocatus a Papa venit cum conſorte ſua Conſtantia ad Coronam, relicto in Alemannia Henrico filio ſuo, & ambo in Principis Apoſtolorum Baſilica menſe Novembri in feſto S. Cæciliæ ſatis cum omnium Romanorum gratia & honore ſunt Imperii diademate inſigniti.* Eandem coronationis diem *in feſto S. Cæciliæ, hoc eſt Dominica, qua cantatur: Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis*, aſſignat Reinerus Monachus in continuatione Lamberti parvi col. 63. Conf. Chron. Cav. Tom. VII. Script. rer. Italic. Murat. col. 926. Franc. Pipinus chron. lib. II. c. XXVI. col. 647.

esse tenemur juxta nostræ plenitudinem potestatis, sic & potentibus viris non debemus auxilium denegare, ne laxare licentiam injuriis videremur. Sane charissima in Christo filia nostra Constantia Romanorum Imperatrix illustris sua nobis conquestione demonstravit, quod cum olim quasi capta in Ungaria remansisset, charissimus in Christo filius noster - - - Ungariæ Rex illustris pecuniam & res alias prætiosas usque ad valentiam triginta millium Marcharum, quas in domo hospitalis Jerosolymitani apud Strigonium deposuerat, nec Deo nec loco deferens per violentiam occupavit. Ut igitur dictus Rex conscientiæ suæ consulat, & honori, Serenitatem suam monemus & hortamur attente, ut super hoc eidem Imperatrici taliter satisfaciat, quod nulla ei de se justa remaneat materia conquerendi. Cum igitur absurdum sit prædictæ Imperatrici negare justitiam, quæ humilitatem potentiæ præferens, non fortitudine sed ratione prosequitur, quod intendit, fraternitati vestræ, per apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Rex monitionem nostram neglexerit adimplere, vos eum ad id districtione, qua convenit, appellatione remota, veritate cognita compellatis. Testes autem, qui nominati fuerint, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis interesse poteritis, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani Nono Kalendas Decembris Pontificatus nostri anno quinto. Andreas quamvis Pontificiæ dignitatis esset reverentissimus, inquisitionem causæ ad ipsum Honorium remisit, (18) fortallis, quod inter judices Vesprimiensem

---

18) Honorius in literis Laterani VI. Kal. Februarii Pontificatus anno VI datis: *Super eo autem quod causam, quæ vertitur inter te, & charissimam in Christo filiam nostram Constantiam Romanorum Imperatricem semper Augustam, & reginam Siciliæ, ad nostram petisti audientiam revocari, noveris, nos eidem Imperatrici nostras super hæc litteras destinasse, credentes, quod & ipsa velit libenter, ut idem negotium ad Apostolicæ sedis remittatur examen.*

ſem Epiſcopum ſubditum ſuum cenſeri haud æquum judicaverit; attamen actio ipſa morte Conſtantiæ ceſſavit. Illa enim aliquamdiu a coronatione Sinueſſæ commorata (19) tandem Virum in Siciliam ſecuta Catanæ XXIII. Junii an. MCCXXII. obiit, (20) corpus ejus Panormum translatum, & in templo maximo (21) quod ſolis Regibus, & Epiſcopis conceditur, marmoreo ſepulchro conditum eſt, nulla inſcriptione addita, adeo ut temporis lapſu vix ſciretur, cujus fuerit, donec referente Thoma Fazello (22) juſſu Ferdinandi Acunei Caſtellionenſis Siciliæ Proregis harum rerum ſtudioſi indagatoris an. MCDXCI. XV. Kal. Nov. *præſentibus* ipſo Acuneo, *Joanne Paternione Archiepiſcopo Panormitano, & Petro Luna Archiepiſcopo Meſſanenſi, ſenatu quoque Panormitano, & Proceribus urbis* ſepul-

 chrum

19) Richardus de S. Germano col. 992. ad an. MCCXXI. *Tunc Imperatrix Sueſſam vadit.*

20) Richardus de S. Germano col. 995. ad h. a. *Imperatrix in Sicilia obit.* Conf. Albertus Stadenſis ad h. a. Indiculus cit. p. 72. appendix ad Chron. Malaterræ p. 604.

21) Cl. Marius Aretius in Siciliæ chorographia p. 575. de hac æde principe: *Templum quoque eſt ingens Panormi: exteriores parietes multo pulcherrimi: a Gualtherio Archiepiſcopo Vilielmi Regis adſine dedicatum. Ibique quatuor ſunt ex Porphyrio marmore ſepulchra, opus ſane cunctis ſpectabile, Siciliæ Reges in quibus ſepultos aiunt: quorum medium tenet mormoreum quoddam, ubi Conſtantia Regina condita — — — — Ipſo in templo cautum eſt in ſtatutis, ne privatorum quiſpiam ſepeliatur: regibus namque duntaxat, & Epiſcopis conceſſum.* Plura de hoc templo Fazellus Dec. I. lib. VIII. p. 158.

22) Thomas Fazellus lib. IX. Dec. II. cap. XI. Conf. Rochus Pirrus Chronologia Regum Siciliæ p. 47.

chrum porphyreticum ad ſiniſtram ingredientibus reſeratum, inſpectum, & occluſum eſt, Inde *marmoreum, quod ſacrario proximum eſt, ſtatim apertum eſt, ubi cadaver mulieris corona Imperiali caput redimitæ cum lamina ærea his literis inſcripta repertum eſt: Hoc eſt corpus Dominæ Conſtantiæ Ill. Romanorum Imperatricis ſemper Auguſtæ, & Reginæ Siciliæ, uxoris Domini Imperatoris Friderici, & Siciliæ Regis & filiæ Regis Aragonum. Obiit autem anno Incarnationis* 1222. 23. *Junii* 10. *ind. in civitate Catanæ.* Ulteriora mauſolæa perquiſiturum Procerum tumultus vetuit; & priora aperta fuiſſe, Ferdinandus gravi tulit animo. Cæterum reliquit Conſtantia ex Friderico (23) filium Henricum Romanorum quidem Regem, ſed patri præmortuum. Adjiciunt Cuſpinianus aliique nonnulli Jordanem (24) in pueritia mortuum, de quo tamen coævorum deſtitutus teſtimonio nihil definire poſſum. Romanæ Sedis fuit cultrix addictiſſima, viciſſim multa ſolicitudine culta, & honorata, quin paulo antequam obiret, Friderico expeditionem Hieroſolymitanam promittente, Honorius eum, Uxorem & filium ejus cum Imperio, Siciliæ regno, & univerſis juribus in Apoſtolicæ Sedis protectionem recepit. (25) Id unum ante concluſionem monuero, ipſam a Mutio (26) & Trithemio (27) *Mariam*, a Reinero Monacho (28) *Margaretham*, a Galvaneo de Flamma (29) *Beatricem* perperam fuiſſe appellatam.

---

23) Albericus ad an. MCXLI. Nicol. de Jamſilla de rebus geſtis Frid. II. Im. col. 494. *ſub præſidiatu Henrici filii ſui primogeniti, quem ex conſorte ſua Imperatrice Conſtantia Hiſpana ſuſceperat.*

24) In Cæſaribus p. 342.

25) Apud Raynaldum ad h. a.

26) Lib. XX. p. 19.

27) In Annal. Hirſaug. ad an. MCCXXIII.

28) In Continuatione Lamberti parvi col. 63.

29) In Manipulo florum cap. CCLI. (T. XI. Script. rer. It. Murat. col. 667.) *Hic duxit in uxorem Beatricem filiam Regis Aragonum, de qua genuit Henricum, qui fuit Rex Alamanniæ, quem Pater eius poſtea mori fecit.*

GER-

GERTRUDIS

ANDREÆ II. PRIMA CONJUX.

Vetus nonnullorum erat dubium de parentibus Gertrudis, *dicunt equidem illi*, ait Paulus Langius (1) *quod . . . Dedo* (Comes in Röchliz) *ex Mechtilde uxore ſua ſuſceperit natas tres, quarum prima nupſit Regi Franciæ, ſecunda Regi Hungariæ mater Sanctæ Elizabeth, tertia Hedwigis nomine Duci nupſerit Sleſiæ.* Etſi vero id falſum ſit, ut bene advertit idem author, certum tamen eſt, Dedonem & Mechtildem Gertrudis avos maternos fuiſſe; nata eſt enim ex filia eorum Aalix dicta, quæ cum Bertholdo III. Duci Meraniæ & Marchioni Iſtriæ nupſiſſet, plurium prolium Mater extitit. (2) Eas, quod res ita poſtulare videatur, aliquali narratione recenſebo. Filii erant: Henricus Marchio Iſtriæ Patris ſucceſſor, & an. MCCIX. exauctoratus & ſub an. MCCXXVIII. mortuus. Egbertus an. MCCIII. Epiſcopus Bambergenſis electus, & an. MCCV. cum fidelitatem Sedi Pontificiæ juraſſet, confirmatus, iterum an. MCCXII. ejectus & iterum reſtitutus, tandem Viennæ Auſtriæ, cui Friderici Imp. nomine præerat, an. MCCXXXVII. defunctus. Otto Dux Meraniæ & Comes Palatinus Burgundiæ juris in Iſtriam ad Bertholdum fratrem translator an. MCCXXXIV. e vivis ereptus. Bertholdus ſpreta ſponſa Cle-

1) In Chron. Citizenſi p. 1159. T. I. Piſtorii.

2) Commendabat Bertholdum, & Aalicem genitores liberalitas in Eccleſias, præſertim in Aquilejenſem, cui plurima præſtiterunt. Vitæ Patriarchar. Aquilej. col. 24. & Antonius Bellonus in iisdem col. 44. T. XVI. Muratorii.

ricus, dein Archiepiſcopus Colocenſis & an. MCCXVIII. Patriarcha Aquilejenſis de Hungaria ſub Tartarorum invaſione optime meritus, mortuus an. MCCLI. (3) Addunt Hungari Scriptores Joannem Archiepiſcopum Strigonienſem; verum hunc Germani Scriptores univerſim ignorant. Filiæ præter Gertrudem Agnes Philippi Galliæ Regis uxor an. MCCL. defuncta, Mathildis Abbatiſſa in Kitzing ad Herbipolim Sanctæ Eliſabeth patrocinio clara. Hedwigis Hermanno Sileſio nupta an. MCCXLIII. mortua, & an. MCCLXVII. inter Sanctos relata. His parentibus orta, & his fratribus & ſororibus ornata an. MCCV. ineunte in thalamum Andreæ Nobilibus Auſtriæ quibusdam, quorum hic favorem olim in terris profugus ſibi conciliaverat, procurantibus petita, & ſuſcepta eſt Gertrudis (4) & quo digna haberetur, omnibus viribus conten-

---

3) Anon. Leob. T. I. Pezii col. 802. *Mater S. Eliſabeth . . . quæ fuit ſoror Ottonis Ducis Meraniæ, Bertholdi Patriarchæ Aquilegienſis, & Egberti Epiſcopi Babenbergenſis. Hainrici Marchionis Iſtriæ. Sorores eius fuerunt Sancta Hedwigis Duciſſa Poloniæ, altera Regina Coniux Philippi Regis Franciæ, & Abbatiſſa quædam in Kytzingen Provinciæ Franconiæ.*

4) In Bibl. Cæſ. Cod. DCXXXVIII. & LXXII. exſtat MS. Chronicon metrorythmicum ab an. MCXC. ad an. MCCLXIX. cujus aliqua huc ſpectantia tranſcribo:

Hoc tempore Bela Rex regnavit in Ungaria.
Bela per Ungariam tercio regnante
Laudes & victorias ſuis cumulante
Laudem (f. tandem) *fato concite ſibi demandante*
Moritur. Et filio primo diſcordante
Cum Germano vincitur & exheredatur.

tendit. Ut enim virum levaret oneribus, ipſa rerum tractandarum partem in ſe aſſumebat. Ut apti plurimi officiis publicis admoverentur, curabat. Ut proles natæ ſancte educarentur, invigilabat; ut iisdem etiam a morte ſua nihil deeſſet, parſimonia ſua providebat. Audiamus Theodoricum Thuringum de deſponſatione S. Eliſabethæ filiæ, ubi hæc fere omnia concurrunt, diſſerentem. (5) *Erat autem Andreas Rex Vir quietus & bonus; Regina ve-*

Nec mirum ſi relegas ſcriptum, quod teſtatur
Roma fratris ſanguine pridem dedicatur.
Non eſt paſſus Romulus Remum, ſed necatur.
Sic Phares Zara primitus bellum innovatur
A regno latiſſimo fratre effugante,
Andreas ivit ad Auſtriam Henrico micante
Solo regni ſolio, eoque migrante
Pacis lege denuo regno titubante
Ungari ſuperſtitem querunt, & gaudenter
Revocant ab Auſtria locantque decenter.
Circumquaque queritant, reginaque proçantur.
Nobili proſapia, ſic conſiliantur.
Nobiles ex Auſtria. proci deſtinantur.
In Ducis Meranie nata proſperantur.
Gertrudisque filia Duci palliatur,
Et Andree conjugis vite conſors datur.

Varia hic rerum geſtarum ordini non congruunt, quod & in ſequentibus apparebit.

5) Lib. I. cap. II. Vitæ S. Eliſabethæ.

vero mulier virtuoſa & fortis, quæ femineæ cogitationi virilem animum inferens, regni tractabat negotia, filiæque transmittendæ procurabat neceſſaria. Datis autem nunciis muneribus regiis, præparatisque omnibus, cum proficiſci properarent, auro & argento, & ſericis involutam, in cunabulo (6) argentio reclinatam illis paranymphis nobilibus præſentavit Regina filiam ſuam dicens: Domino veſtro dicite, ut animæquior ſit, & valens, & ego eum maximis divitiis, ſi Dominus mihi vitam dederit, cumulabo. Transmiſit quoque cum filia vaſa aurea, & argentea, magna, multa, & varia: & diademata pretioſiſſima, & ornamenta, annulos, monilia, multipliciaque veſtimentorum paria: dolium argenteum pro balneo filiæ, lectualia, culcitras & coopertoria de ſerico, purpuras, & pannos ſericos multos cum alia ſuppellectili innumerabili pretioſa. Addidit inſuper mille marcarum ſummam pecuniæ, nec non & ampliora promittens, ſi vivere contigiſſet. Non ſunt allata, nec viſa talia, & tam pulchra, pretioſaque, ac multa in Thuringia, qualia transmiſit cum filia. Dignum fuiſſet memoratu a Gertrude ipſum illud regium veſtimentum quo, dum coronaretur, amicta fuit, fuiſſe adjectum, quod deinde Eliſabetha in ſacerdotalem veſtem transformatum cum aliis ſacris donariis Eccleſiaſtico Theſauro in Andechs (7) conſecravit. Quamvis

---

6) In cunabulis hic exhibita Eliſabetha multos offendit, cum tamen jam quartum annum ageret. Fortaſſis ſpecies nuptiarum per Procuratorem celebratarum exhibita fuit; more tum apud Germanos uſitato.

7) Ita quidem MS. codex Germanicus ſec. XV. Bibl. noſtræ: *Darnach und vergiengen etlich Jahr* (a dono ſpineæ coronæ per Aguetem Gertrudis ſororem factæ) *da kam her aus Andacht die heilig Frau Sant Ellſpeth nachdem und Sie verwittibt was, und pracht mit ir groz Heiligtum, mit namen ein clains Creutz, dar Inne verslozzen iſt aller wafen ein teil damit Xpus Jeſus zu der Zeit ſeins leidens gemartert ward, damit ſy Bapſt Gregorius der newnd vermehelt hat Gott dem Herrn*

vis autem his donis exhauſta credi poſſet, tamen illa Eccleſiæ Vratislavienſi coronam auream, qua ipſa ornata fuerat (8) donavit, & a morte theſaurum rerum pretioſarum ſeptem marcarum millibus æſtimatum (9) in uſum prolium ſuarum reliquit. Nihil igitur mirum, ſi chariſſimam ſemper conjugem ſuam habuit, ejusque gratia multum præſtitit, præcipue fratribus ejus. Egbertum enim non modo Pontifici (10) in cauſa adeundi Epiſcopatus commendavit, ſed & poſtea profugum recepit, Bertholdum ad Archiepiſcopalem dignitatem Colocenſem promovit, Banique Sclavoniæ (11)

---

nach dem Tod irs manns. Item des Creutzs, daran gemartert ward der heilig zweliffpott Sant Peter. Item des Slayrs Umſer Lieben Frauen. Item ein meſsgewanntt, das ir prewtrock geweſen iſt. Darinne Ir muter ze Hungern zu einer Kunigin gekront geweſen iſt.

8) Curæus in Annal. Sileſ. apud Hennelium p. 243. teſtatur: *Gertrudim Eccleſiæ Wratislavienſi donaſſe auream coronam, qua ipſa fuerat ornata: eam vero collegium conflaſſe, & fieri inde curaſſe calicem ad uſus ſacros, ex quo populus vinum hauriebat in s. cœna: quales paſſim in Germania ante Synodum Conſtantienſem in uſu fuerunt, & ſunt illa ætate nominati miniſteriales.*

9) Refert ipſe Andreas in epiſtola (apud Raynald. ad an. MCCXIV.) Bertholdum fratrem *pecuniam, quam bonæ memoriæ uxor noſtra ad opus, & uſum filiorum & filiarum noſtrarum conceſſerat* (l. congeſſerat) *& apud quemdam civem noſtrum depoſuerat, in auro & argento in maſſa, vaſis, & utenſilibus aureis & argenteis ad æſtimationem VII. millium marcharum abſtuliſſe, & aſportaſſe.*

10) Apud Rayn. ad an. MCCV. n. IV.

11) De hoc præter domeſticos & diplomata cit. chron. continuat:

Cujus frater inclitus vir magnificatur
Perchtholdus Colocie tandem cathedratur.

munere ornavit; Ottonem hoſpitio ſuſcepit, aulamque ſuam exterorum hoſpitum frequentia celebrem fecit. Talis tamen ac tanta cum eſſet mulier, quinque inſuper prolium Mater, (12) repente conſpiratione plurium Baronum & Nobilium an. MCCXIII. (13) manu Petri Comitis de Wardino miſere occiditur. Quanquam vero Conjux abſens expeditione contra Ruthenos ſuſcepta occuparetur, ſequenti nocte in omnes, qui ſceleris complices tum habebantur, ſævitum eſt an a fidelibus? aut fortaſſis etiam ipſis cædis au-

---

12) Author chron. cit. quatuor tantum prolium notitiam habuit, canens:

Andreas natos genuit tres; primus vocatur
Bela, alter Andre; Coloman; his ſoror generatur
Elyzabeth non ſterilis, que Duringo datur.
Ubi ſanctimonia ſic mirificatur,
Per plurima miracula, quod ſanctificatur
Tandemque ſollempniter hec canonizatur
Et jocundo tytulo celis coronatur.

13) Chron. Mellic. col. 237. Weichſtephanenſe col. 403. Schyrenſe col. 412. nudam ejus cædem referunt. Chron. Salisb. col. 439. *Regina Ungariorum ſponſo expeditionem contra Ruthenos movente a Comite quodam Petro trucidatur, qui & ipſe ſubſequenti nocte in ultionem ſceleris cum aliis iugulatur.* Compilatio chronologica apud Oeffelium T. II. p. 332. Eadem chron. Auguſtanum p. 518. Stero apud Caniſium. Chron. Oſterhov. MS. Arbitror Petrum hunc *Comitem Bacſienſem* fuiſſe, cuius in diplomatibus annum MCCXIV. antecedentibus fit mentio, poſtea tacetur. Anonym. Leob. col. 802. eum de *Wardino* appellat, unde facile aliquis A forte Hungarorum, & O confundens Banconis Bani natales *de genere Bor* formaverit.

authoribus inſtigantibus, ut ipſi ſecurius laterent. Certe Andreas redux ita circumventus fuiſſe animadvertitur, ut vix ultra ad inquiſitionem proceſſerit. Multa & varia, ut fieri ſolet, ad crimen palliandum poſtea in vulgus ſparſa ſunt de cauſa cædis, ſcilicet a fratre Reginæ hac conſcia vim illatam fuiſſe uxori Banconis eo tempore Palatini; (14) cujus criminis alii fratrem Egbertum (15) accuſarunt, alii Bertholdum, (16) nonnulli Ottonem. (17) Implicitus tragœdiæ Joannes Strigonienſis Archiepiſcopus, qui conſultus reſponderit ambigue: *Reginam occidere nolite timere bonum eſt, ſi omnes conſenſerint, ego non contradico.* (18) Bela filius ideo patri adverſatus ſcribitur, quod is ultionem neglexerit, quam deinde idem Bela ipſo principatus initio Albæ ſumpſerit. (19) Attamen hæc omnia

14) Bank an. MCCIX. fuit Banus (Pray p. 200.) MCCXII. Palatinus, MCCXVII iterum Banus. Schmitth. Epp. Agr. Tom. I. pag. 117. Fruſtra P. Palma poſteriorem Bankonem a priore diſtinguit; notum eſt enim tum continuas fuiſſe mutationes officiorum; fruſtra Thuroczius ait ſævitum in omne genus eius, niſi fortaſſis tardius.

15) Anon. Leob. col 802. *Mater S. Elizabeth occiditur. . . a nobili viro Petro de Wardino; quia ipſa conſcia per fratrem Egbertum ſtuprata fuit uxor eius.*

16) Andreas Ratisbon. in chron. col. 2081.

17) Quibus occaſionem dederit Thurocz. P. II. cap. LXXII. fratrem quendam hoſpitem accuſans.

18) Chron. Oſterhov. MS. Auguſtanum p. 518. Stero apud Caniſium. Anonymus Leob. col. 802.

19) Addo reliqua huc attinentia ex cit. chron. metrorythmico:

Invidus ſucceſſibus regni laceratur

mihi videntur referenda inter aniles fabulas, aut putidas calumnias tum demum a Bancone Bano, aut ejus Patronis excogitatas, cum conſtitit ipſum criminis authorem aut conſcium fuiſſe. Hoc præſumptio pro Gertrudis proba converſatione nullo cæteroquin vi-

---

Ille vetus oriens; quod ſic tranquillatur.,
Dolet; & Colocie Præſul inflamatur.
Et Regine ſuggerit, quod, ni pociatur
Banci Viri nobilis uxore, triſtatur,
Et anxietatibus male moriatur.
Regina, quid faciat? rumpere conſternatur
Ducta muliebriter, fratrem medelatur.
Unde poſt exitium multis propinatur.,
Banco participibus ſuis querelatur.
Furit, fremunt pariter., ſicque conſpiratur.,
Campeſtri tentorio regina necatur
Et in monaſterio phis (Pilis) *hæc tumulatur.*
Poſt ſuccreſcit ulcio, fallanx diſſipatur;
Ve plorant innocui. Bela coronatur.
Poſtquam pater ſimulat, nec mortem zelatur
Matris ejus, concite dolos machinatur
Contra Patrem, cogitat, & exaſperatur.
Tandem ad concordiam Patris revocatur.
Quo defuncto Curia Albe celebratur,
Regale convivium cunctis preparatur,
Sed conviva plurimus capite truncatur.

vitio notata, hoc ſororis alterius ſanctitas, alterius DEO devota caſtimonia, hoc ſilentium adverſariorum Egberti & Bertholdi, hoc poſthuma Belæ in matrem pietas, in Bertholdum confidentia ſuadent. Neque unus ego his criminibus Gertrudem, fratresque abſolvo; quippe jam in meam ſententiam præceſſerunt Dlugoſſus, (20) Curæus, (21) Caſp. Ens, (22) Hanthalerus, (23) Brunerus, aliique, quorum parum intererat, cui parti adhærerent. Sed & illud Joannis Archiepiſcopi dictum ex Sophiſtarum Schola huc eſt tradu&tum, cui jam Albericus ſec. XIII. (25) fidem non adhibuit. Idem fere de Joanna Philippi Pulchri Conjuge apud Gallos (26) & de Eduardo II. Rege tollendo (27) apud Anglos vulgatum le-

 gas;

---

20) Hiſt. Pol. Lib. VII.

21) In Annal. Sil.

22) Lib. II. Hiſt. Hung. Conf. Putſchius apud Wig. Hund. Bayr. Stamm. p. 80.

23) In Faſtis Campilil. Dec. II. §. I. n. XVIII.

24) P. III. Lib. XIII. p. 635.

25) *De morte autem huius Reginæ quædam Archiepiſcopi Strigonienſis publicatæ ſunt litteræ amphibologicæ duplicem habentes conſtructionem, ita quod per unum illorum videbatur idem conſentire neci reginæ, per alterum contradicere. Unde per iſtam ſummi Pontificis iudicium dictus eſt evaſiſſe, qui tenor litterarum talis eſſe perhibetur: Reginam &c.* p. 473. ad h. an.

26) Mezerai Abregè chron. ad an. 1313. Mayerne dans l'hiſtoire d'Eſpagne T. I. p. 559. Joan. ſecundi epigramma in arcem Reginæ Albæ Pariſiis in libro eius epigrammatum. Conf. Rob. Gagvinus lib. VII. cap. V.

27) De hoc Epiſcopus de Henfort MCCCXXVII. ſcripſiſſe fertur: *Regem occidere nolite ſervare bonum eſt.* V. Waldner Analecta Hiſtorica.

gas; Parisiis vero in Nominalistarum Scholis erat (28) decantatissimum. Quod Belam attinet, primas ejus cum patre discordias uxoris causa fuisse, Romam perscripserunt Episcopi. Quos causam ignorasse quis credat? Verum de hac re iterum sermo erit in Maria Belæ IV. Conjuge altera. Si vero postmodum Bela detectis conspirationis in matrem principibus, eos impunes abire noluit, quod inde argumentum adversus Gertrudem, ejusque fratres? Albæ in convivio patrata est cædes eorum, qui ipsum patremque dolis suis commisissent, quod M. Rogerio Varadiensi Canonico patrias res a se visas narranti (29) credamus oportet potius, quam extero pluribus in rebus hallucinanti. Verior igitur occisæ Reginæ causa est nimia elevatio Bertholdi, ab ipso Rege insinuata, (30) & aliorum nonnullorum (31) exterorum, quos etsi prima subsellia

---

28) Gagvinus loc. cit.

29) In Miserabili carmine cap. IV. *Bonæ memoriæ Rege Andreæ, genitore istius Belæ Regis mortis debitum persolvente: subito Rex cum Regni Principibus & Nobilibus venit Albam Regiam civitatem, & ibi postquam per manus Strigoniensis Archiepiscopi, prout moris est, regali diademate extitit coronatus; quosdam de suis Baronibus, qui patri adhæserant contra eum, compulit exulare, quosdam carcerali custodiæ, quos habere potuit, mancipavit: quendam de Maioribus, Dionysium Palatinum, privari fecit lumine oculorum.* Dionysii crimina aliorumque videri possunt in sententia Roberti Strigon. Archiep. apud Raynaldum ad annum MCCXXXII. n. XIX.

30) Ita in litteris ad Innoc. PP. an. MCCXIV. apud Rayn. *Colocensis Ecclesiæ Archiepiscopum, hominem pacis nostræ, in quo sperabamus, ob cuius vehementem affectionem & promotionem super alios, fere totius regni nostri maiorum, ac minorum odium incurrimus.*

31) Hoc in numero censeri potest Robertus e diœcesi Leodiensi ortus, Vesprimiensis Episcopus, dein Strigoniensis Archiepiscopus.

lia non occupaverint, nunquam tamen fere gratos fuiſſe experientia conſtitit, Illud quoque meam ſententiam confirmat, quod Leopoldus Dux Auſtriæ tum in aula Hungarica præſens ad necem quæſitus vix evaſerit. (32) Peracta eſt cædes IV. Kal. Octobr. (33) ejusque corpus in Piliſienſi Ciſtercienſium cœnobio tumulatum eſt. Andreas, ut animæ ejus bene eſſet, multa bona contulit monaſterio S. Crucis in Auſtria, quæ filius Bela dein recognovit. (34) Idem filius ex bonis proſcriptorum monaſterium, fons Belæ dictum extruxiſſe dicitur. (35) Eccleſiam Tollicenſem dotavit annualibus viginti marcis pro remedio animæ Matris ſuæ, (36) & materni ſanguinis reſpectu Agnetem Meraneam Gertrudis ex Ottone fratre neptem a Friderico Auſtrio repudiatam vindicare voluit. (37) At plus

---

32) Haſelbach in chron. Auſtr. *Leopoldus quoque Dux Auſtriæ, qui tunc aderat, ad necem quæritur; ſed dextera DEI protegente, licet multa difficultate ad propria cum ſalute revertitur.*

33) Hunc diem ſignat Dlugoſſus, cui concordat Necrologium Admontenſe, quod col. 207. habet *IV. Kal. Oct. . . . Gerdrudis Regina.*

34) Ita Bela in diplomate: *Cum hic a nobis & maioribus terre de voluntate Patris Regis Andree, & fratris noſtri Cholomanni Regis diſcuterentur, inter cetera privilegia Abbatis de ſancta Cruce de Auſtria nobis ſunt preſentata, que Abbati eiusdem Eccleſie, ſicut anteceſſores noſtri, nec non & Pater noſter Andreas pro ſalute ſua, & remedio anime Matris noſtre, atque predeceſſorum, ſucceſſorumque ſalute contulit &c.*

35) Anonym. Leob. col. 802. qui tamen ibi aliqua confundit.

36) An. 1225. apud Kercselich. Hiſtor. Zagr. P. I. p. 335.

37) Pernoldus: *Dux Fridericus tertiam uxorem ſuam Agnetem de Merania, auctoritate Archiepiſcopi Salzburgenſis & plurium Epiſcoporum apud Friſach Karinthiæ ex*

tho-

plus præſtitit Matri Eliſabetha filia, cujus precibus liberata e piacolari loco ad æterna gaudia (38) tranſivit. Ceterum ut alii inferis dignam depinxerunt Gertrudem, ſic alii viciſſim eam ſignis variis coruſcaſſe & authoritate Eccleſiæ Sanctorum faſtis adſcriptam fuiſſe commenti ſunt. (39) Jam de prolibus ejus, quas ordine nativitatis enumeratas non parum lucis rebus Hungaricis ejus temporis allaturas exiſtimo. Maria prima prolium nata ſub finem anni MCCV. nupta an. MCCXVIII. Aſani Bulgarorum Regi; de qua Thomas Archidiaconus Spalatenſis: (40) *Exinde peragratis Græciæ finibus* (Andreas e Palæſtina redux) *aſcendit in Bulgariam, ubi ab Occano Bulgarorum Rege detentus eſt, nec ante abire permiſſus, quam plenam ei ſecuritatem faceret, qui ei ſuam filiam matrimonio copularet.* Reſtabat hæc tum ſola, unde in litteris ſequenti anno ad Honorium Papam datis, Andreas nullam ſe ex filiabus ſuis innuptam

---

thoro ſuo dimiſit ob affinitatem, & quia prius Imperatorem ſecuta eſt, nec fœcunda fuit, offendit in hoc Belam, cuius Mater fuit ſoror Patris Agnetis: qui rediens in regnum ſuum Ungariæ, e quo Tartari exceſſerunt, cum auxiliis Equitum de Rhodiis, & Nobilium de Frangipanis, voluit in tranſitu Auſtriæ divortium bello ulciſci: ſed coactus eſt a Duce cedere.

38) Theodoricus lib. VI. vitæ S. Eliſab. cap. XI. *Mater eius iam dudum miſerabiliter ab Ungaris interemta in ſomnis ei apparens flexis genibus dixit ad eam: mi dilectiſſima filia, ora pro doloribus meis, quos adhuc patior, quia in hoc ſeculo negligenter vixi; potes enim. Evigilavit autem beata Eliſabeth, ſurgit cum fletu, oravit devote, & iterum obdormivit. Adeſt mater denuo, & gratias agens ſe aſſeruit liberatam, dicens: orationes eius cunctis invocantibus profuturas.*

39) Andreas Ratisbon. in chron. Ecc. T. I. col. 2081.

40) In Hiſtoria Salonitana cap. XXVI. p. 574.

ptam habere aſſeruit. (41) Mortua eſt an. MCCXXXVII. prout Georgius Logotheta refert: (42) *Dum obſideretur Tzuruli caſtrum, Aſſano de repente nunciatur uxorem Ungaram in vivis eſſe deſiiſſe.* Et Bela jam in litteris VII. Id. Junii MCCXXXVIII. (43) datis ad Gregorium IX. eam *felicis recordationis* vocat.

Bela natus an. MCCVI. cum ejus ſpes eſſet, impetravit Andreas Pontificium mandatum ad Præſules, & Principes Hungariæ, ut filio, ſi talis naſceretur, mox fidelitatis ſacramento ſe obſtringerent. Datum id Ferentini VII. Id. Jul. an. IX. (44) Idem Pontifex Innoc. III. accepta notitia de nato filio, Bambergenſi Epiſcopo Reginæ fratri litteris Romæ III. Kal. Dec. datis injunxit, ut Regem adiret, ſuoque nomine gratularetur. (45) Nonnulli putant Andream vel Emericum quendam hoc filio indicari. Ad quid vero ſolicitudo Andreæ, ut filio proxime in lucem edendo Proceres ſacramentum dicerent, ſi alius eum præceſſit? Accedit dubium an. MCCXXIII. ortum de Belæ pubertate, quod in Maria ejus Conjuge referam. Denique contractas cum Gertrude nuptias poſt mortem Emerici fratris initio demonſtravi.

Eliſabetha an. MCCVII. nata & ſtatim in cunis Ludovico Landgravii Thuringii filio deſponſata. Anno MCCXI. in Thuringiam miſſa, quod adeo memmorandum etiam vicinis viſum eſt, ut

41) Apud Prayum p. 215. geſta DEI per Francos.

42) In hiſtoria Conſtantinopolitana.

43) Apud Raynald. ad h. a. n. XII.

44) Apud eundem ad h. a.

45) Ibidem n. XXVI.

ejus in Sabrdovicenſibus fundationis litteris velut epochæ fiat mentio (46) an. MCCXXI. matrimonio juncta. an. MCCXXVII. viduata. an. MCCXXXI. mortua. an. MCCXXXV. Sanctorum faſtis adſcripta. De qua breviſſime Martinus Fuldenſis. (47)

Colomannus ſecundo genitus ſub an. MCCVIII. natus. an. MCCXIV. ab Hallicienſibus in Regem poſtulatus & coronatus. (48) an. MCCXX. ab iisdem rejectus, inde Sclavoniæ Dux factus, an. MCCXLI. in pugna cum Tartaris vulneratus, profugus cum ſuis in Dalmatiam obiit, Chaſmæ apud Fratres Prædicatores ſepultus. Gloriam maximam a conjugio virgineo cum B. Salomea ſervato aſſecutus. Ceterum chronotaxis a variis inita, vitiis laborat multis, quod indicaſſe ſufficiat.

Andreas non ante an. MCCIX. natus, an. MCCXIX. (49) filiæ Leonis Armeniæ Regis Conjux & ſimul hæres regni poſtulatus. Verum res hæc fere ut cœpit, iterum evanuit. Colomanno enim fratre per Mieceslaum capto, deſignatus eſt Rex Halliciæ accepta ſimul Conjuge Maria filia Mieceslai; quod quidem Pater Colomanni & ſponſæ liberandorum gratia ſub an. MCCXXI. ju-

---

46) *Tunc temporis hæc acta ſunt, cum filia Regis Hungariæ in Teutoniam viro deportabatur. Tunc Rex Bohemiæ fecit prandium die Sabbati in Klobutz & die Dominica in Zabrdovitz, atque hæc omnia eo tempore firmiter ab eo determinata ſunt.* Diploma Primislai Ottogari Regis DCCXXXI. T. I.

47) Tom. I. Eccarti col. 1702.

48) Apud Rayn. ad h. a.

49) Vide literas Honorii ad h. an. apud Rayn.

(50) juramento firmaverat; Pontifex tamen ſacramentum hoc, quoad regni translationem irritum pronunciavit, matrimonii vero contrahendi obligationem, cum ſponſi in minori exiſterent ætate, non ſuſtulit. Quæ porro ſors Andreæ fuerit, compertum non eſt. Partem certi imperii nullam habuit, neque in diplomatibus paulo poſterioribus ejus fit mentio; ut adeo aut mortuus haberi debeat, aut e Patria diſceſſiſſe; quod ut fieri potuit, ſic aliorum diſquiſitioni locum dabit. Blondellus ait eum an. MCCXXXIV. occiſum, quod unde habeat ignoro. (51) Atque hæ ſunt quinque illæ proles, quas antiquitas (52) novit. Rudolphius (53) memorat Zigvam, vel Zingvam filiam Andreæ Regis ſororem germanam S. Eliſabethæ; patet vero ab ea B. Kingam Belæ IV. filiam intelligi,

50) Apud eundem ad an. MCCXXII.

51) Tab. CXLIV.

52) Albericus ad an. MCCXIII. p. 473. *Regina Hungariæ Gertrudis Uxor Regis Andreæ per conſpirationem Principum, & Baronum de Hungaria interficitur, tribus filiis & filiabus duabus ſuperſtitibus relictis.*

53) Hiſtoriarum Seraphicæ Religionis lib. I. fol. 243.

Bertholdus II. Comes Andechs Marchio Iſtriæ. } Berthold. III. Marchio Iſtriæ
Hadwig filia Regis Daniæ. - - - - } Gertrudis.

Dedo Comes a Ræchliz Miſnenſis. } Agnes ſeu Aalix.
Mechtildis Gozwini Com. Humelberg filia. }

aut ex una duas perſonas formari. Emericum demonſtrabunt filium, quorum intereſt. Alium filium Alexandrum nominat Philipp Mouskes, eumque jam an. MCDXX. fortem & robuſtum ait, verum id ex rumoribus hauſtum. Meminit Gregorius IX. in literis ſuis ad Andream datis Peruſii XI. Kal. Sept. cujusdam Andreæ nepotis. (54) Quis ille fuerit ignoro. Stephanus nondum natus erat, fortaſſis Hermannus Eliſabethæ filius aliquamdiu in Hungaria fuerit commoratus; quamquam id latiori ſenſu potuerit accipi, quemadmodum ipſe Andreas in litteris ſuis an. MCCXIX. quasdam neptes commemorat.

54) Apud Rayn. ad an. MCCXXXV.

JO-

JOLANTA

ANDREÆ II. SECUNDA CONJUX.

Varium eſt Jolantæ nomen apud Scriptores; aliis enim Hyolenz, Jole, Hyole, Jolans, Violanta dicitur, quæ tamen omnia unum idemque ſecundum variam gentium diverſarum enunciationem ſonant. Parentes ejus Petrus Comes Antiſiodorenſis: & Hyole Comes Hainonienſis poſtea Imp. Conſtantinopolitani. (1) Tranſiit vero in Sponſam Andreæ II. Regis ſub an. MCCXV. & prope ipſi in dotis partem Imperium orientale attulit. Cum enim Henricus avunculus anno ſequenti (2) e vita abiiſſet, Latini & Græci non pauci in Regium Conjugem ejus oculos (3) converterunt, qui terras ampliſſimas regendas & defendendas ſuſciperet. Sed tandem Petrum Patrem ſuum prælatum vidit, fortuna tam varia, ut ille ante ingreſſum Imperii captivus apud Theodorum Laſcarem (4) obie-

1) Albericus ad an. MCCXVII. p. 497. Patri Antiſiodorenſis Com. proles enumerans ait: *Unam filiarum eius Hyolenz nomine duxit Andreas Rex Hungariæ.* Conf. idem ad an. MCXCI. p. 395.

2) Guil. de Nangis ad an. MCCXVI. *Tertio Idus Junii Henricus Conſtantinopolis Imperator apud Theſſalonicam obiit anno Imperii decimo.*

3) Litteras, quibus Honorius III. Pontifex Andreæ oblatum imperium gratulatus eſt datas III. Kal. Febr. anno primo exhibet Raynaldus ad h. an. & Prayus T. I. p. 207.

4) Richardus de S. Germano col. 990. ad an. MCCXVII. *Petrus Altiſiodorenſis Co-*

obierit, Mater & poſt ipſam frater imperium aſſecuti fuerint. Ego vero in Andrea Rege ſingularem animi moderationem mirari ſoleo, qui eapropter neque Conjugi indignatus fuerit, neque expeditionem ſacram intermiſerit. Id quidem etiam teſtimonium eſt virtutis in Jolanta eminentis, quæ Maritum ſibi ſuisque benignum reddiderit. Sane cum Robertus frater decreto ad ſuſcipiendum Conſtantinopolitanum imperium itinere maris & pyratarum pericula vitaturus ſimulque ſororem ſuam per occaſionem viſurus Hungariam ingreſſus eſſet, non modo pro dignitate exceptus, ſed & comite Bela (quæ ſingularis privigni in novercam pietas fuit) per Bulgariam ad fines Imperii ſui deductus fuit. (5) Scilicet Jolanta, pro in-

---

Comes in Conſtantinopolitanum Imperatorem electus eſt, Romam veniens cum conſorte ſua ab Honorio Papa apud Sanctum Laurentium extra muros urbis in Imperatorem & Imperatricem coronantur. Qui regnum intrantes & ſe Brunduſium conferentes cum honeſto militari exercitu, ibi Dominum Joannem de Columna Cardinalem in Conſtantinopolim Legatum venturum expectant, cum quo fauſto ſatis omine navigio transfretantes, ad portam Durachii pervenerunt. Qui pravo ducti conſilio, Imperatrice eos per mare præeunte ad Civitatem Byzanceam obſidere & expugnare præviderunt Durachium, & eum viris non proficerent, aut viribus ſuis ab obſidione civitatis ipſius digreſſi ſunt. Qui errantes per devia & condenſa ſilvarum a Græcis intercepti ſunt, de quibus nonnulli in ore gladii perierunt, nonnulli vero capti ſunt, & carcerali ſqualore una cum ipſo Imperatore conſumpti. Ipſe etiam Cardinalis captus eſt & detentus. Conf. Pipinus lib. I. c. XXXVIII. col. 622. Reinerus col. 58.

5) Franc. Pipinus Ord. Præd. lib. I. cap. XXXIX. col. 623. *Arrepto Henricus* (l Robertus.) *itinere tranſivit Hungariam viſurus Reginam ſororem ipſius, ut ipſius opitulante favore per Hungarorum & Blancorum regna ſecurus tranſiret. Quod & factum eſt.* Conf. Phil. Mouskes p. 214. Sabellic. Dec. I. lib. VIII. Du Cange Hiſtoire des Conſtantinople ſous les Empereurs François. P. II. lib. III. p. 74. Chron. Thuring. T. I. p. 92. Schoetgenii ad an. 1223. *In demeſelbin iare zcoch Lantgrane*

inſigni, qua pollebat, prudentia ſemitam Gertrudis prioris Reginæ devitans nemini gravis eſſe ſuſtinuit, nullamque ſuis querendi cauſam præbuit, neque ſe unquam Reipublicæ regimini immiſcuit; quod & decreta Regia, & litteræ Pontificiæ ſilentio ſuo demonſtrant, nihil in ea reformatione dignum fuiſſe repertum. Poſteris vero prope ignota facta eſt, ut plures (6) fuerint, qui putaverint Gertrudi mox Beatricem in matrimonio Andreæ ſucceſſiſſe. Fatis ceſſit an. MCCXXXIII. præſentibus ultimæ luctæ Jacobo Cardinali Prænestino Ap. Sed. Legato & Epiſcopis. (7) Corpus in cœnobio Egreenſi ordinis Ciſtercienſis tumulo illatum eſt. Unicam reliquit filiam virtutum & materni nominis hæredem Jolem, cui dum Jacobo Arragoniæ Regi in Conjugem traderetur, Conciliator & approbator nuptiarum (8) Confirmator, & protector dotis ipſe Gregorius IX. Pontifex (9) eſſe voluit. Quamquam hæ nuptiæ non niſi altero poſt mortem Jolantæ an. VI. Id. Sept. an. MCCXXXV.

Bar-

---

lodewig mit ſyner frouwen ſente Elsbethem yn Vngern zeu orme Vater, der liez ſu wedir richlichin mit gelde und mit Kleynoten, Kleydern, und ſchonen pherden, dy ſü Kegin yſenach brachten.

6) Murerus lib. I. Vitæ B. Eliſab. cap. I. p. 123. *Andreas ſecundis nuptiis cum Beatrice Aldebragdini Marchionis Eſtenſis filia contractis.* Conf. Thuroczius P. II. cap. LXXXII. Piespordius p. 7. ſtema Auſtriac. Wadingus in B. Salomea, Lucius Henningeſius & Hübnerus in tabulis Genealog. Regg. Hung.

7) Albericus ad h. a. p. 547. *Regina Hiolenz de Hungaria in præſentia Cardinalis & Epiſcoporum moritur, & in Albatia de Ægris ſepelitur.*

8) Apud Raynaldum ad an. MCCXXXV. n. XXVI.

9) Exhibeo litteras Pontificias (ex regeſto anni IX. ep. 186.) ea cauſa datas: *Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum DEI Venerabili Fratri Epiſcopo Quinqueeccleſi-*

Barcinone celebratæ fuerint, comitantibus eam Dionyſio Comite cognato, & Bartholomæo Epiſcopo Quinqueeccleſiarum, (10) cui re-

---

ſiarum & dilectis filiis Magiſtris Militiæ Templi & Hoſpitalis Jeroſolymitani in Ungaria ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Matrimonium nuper inter chariſſimum filium . . . . Illuſtrem Regem Aragonum & dilectam in Chriſto filiam . . . . natam chariſſimi in Chriſto filii noſtri . . . . Illuſtris Regis Ungariæ contracto legitime, ſicut iidem Reges ſuis nobis litteris intimarunt, dictus Rex Ungariæ pro dote duodecim millium marcarum argenti, quam pro ipſa filia ſua conſtituit, quosdam redditus, qui triceſima vulgariter appellantur, præfato Regi Aragonum obligavit tam diu percipiendos ab ipſo, donec ex eis prædictam ſummam integre fuerit aſſecutus. Quapropter ad ſupplicationem Regum ipſorum diſtricte vobis per Apoſtolica ſcripta mandantes præcipimus, quatenus prædictos proventus ad opus memorati Regis Aragonum ſtudeatis annis ſingulis diligenter colligere & fideliter cuſtodire. Datum Peruſii quinto Idus Auguſti Pontificatus noſtri anno primo.

10) Albericus ad h. a. p. 556, de Jacobo: *Filiam Regis Hungaciæ Hyolens uxorem duxit.* Chron. Barcinonenſe (T. III. Spicileg. Dacherii p. 141.) *Anno MCCXXXV intravit Domina Regina Hungariæ Barcinonem.* Indiculus rer. ab Aragoniæ Regibus Geſtarum (T. III. Hiſpaniæ Illuſtratæ p. 81. ad an. eund. *Yolans Regina ex Pannonia ad Virum Regio comitatu deducta Barcinonem appellit. Ea in urbe nuptiarum ſolemnia A. D. VI. Id. Sept. celebrantur. Præſtantiſſima omnium eius ſeculi fœminarum, vere digna, quæ ex ultimis gentibus connubio Principis poſt homines natos fortiſſimi & animi maxime excelſi & invicti adiungeretur; non modo conſiliorum, ſed & diſcriminum periculorumque omnium ſocia atque conſors. Reginam in Hiſpaniam proficiſcentem comitati fuerunt Epiſcopus Quinqueeccleſienſis & Comes Dionyſius, cui cognatio cum Regina erat: qui magnis præmiis a Rege donatur, & filios habuit Amorem Dionyſium & Gabrielem Dionyſium: atque inde Dionyſiorum familia exoritur maxime inſignis atque illuſtrts quæ in Urreas inſita fuit.*

reduci expenſas factas Andreas reſarcivit (11). Jole quoque an. MCCLIX. mortua eſt (12) felix nepte S. Eliſabetha Portugalliæ Regina. Aliam Jolantæ noſtræ filiam Annam attribuit Du Cange (13) Joanni Aſani Bulgarorum Regi nuptam: verum ea Maria fuit Gertrudis filia, ut ſupra vidimus. Denique Lucas Caſtellinus tribuit Andreæ filiam Divam Margaritam Monialem Ordinis Sancti Dominici (14). Jolantæne an Gertrudis natam putaverit, ignoro; ſed parum refert, cum eam Belæ IV. filiam & Andreæ neptem fuiſſe certum ſit. Avi paterni & Materni Reginæ noſtræ hi fuerunt.

11) Itaque Helena ex ſerie prolium Belæ III. a me quondam conſtituta delenda eſt. Errorem diplomatis, cuius ab alio allegati fidem ſecutus eram, cum quererer Cl. Kollario, is exhibito eodem ſincero diplomate me id recte correxiſſe confirmavit.

12) Chron. Barcin. loc. cit. *Anno MCCLIV. ſeptimo Id. Octob. Domina Hioles de Hungaria Regina Aragonum, uxor Domini Regis Jacobi quondam, deceſſit in Aragonia apud Sanctam Mariam de Sales.*

13) Loco cit. p. 74.

14) Libro de certitudine gloriæ Sanctorum Canonizatorum: *S. Margarita filia Andreæ Regis Ungariæ Monialis ordinis S. Dominici, quam illuſtriſſimam Virginem vocant.*

Ludovicus VI. Rex Gall.
Alix filia Com. Humberti de Sabaudia. — Petrus Dominus de Courtenay.

Reginaldus Com. de Courtenay.
. . . . . — Isabella hæres de Courtenay.

Petrus, postea Imp. CPnus.

Balduinus IV. Com. Flandr.
Ida filia Com. Godefr. de Nomor. — Balduinus V.

Jolanta.

Jolanta.

Theodoricus de Alsatia Com. Flandr.
Sybilla d' Anjou. — Margarita.

Jolanta.

BEA-

BEATRIX

ANDREÆ II. TERTIA CONJUX.

Si Scriptores quospiam (1) ſatis ceteroquin fidos audiremus, Beatrici alium Conjugem, alium filium, aliud vitæ tempus aſſignare oporteret. Iis enim referentibus nupſiſſet ea Stephano cuidam, Andreæ II. pronepoti, præmortuo in Styria, ubi degebat, marito gravida dimiſſa, Jadræ a fratre Marchione recepta, in patria Andream peperiſſet; nupſiſſet poſtea diviti Veneto, qui tandem audita extinctione maſculæ Hungaræ ſucceſſionis Andream privignum legitimum ſucceſſorem publicaverit. Sed miſſis his fabulis ea, quæ certa ſunt, proſequamur, donec ſub finem ad incerta referenda nos remittamus. Erat Beatrix Aldovrandini Marchionis Eſtenſis filia unica (2) in magnas ſpes nata, quæ vero te-

1) Anonymus Leob. lib. III. (T. I. ſcript. rer. Auſtr. Pezii col. 868.) *Hoc tempore* (an. MCCXCI.) *Regnum Hungariæ hæredibus viduatur. Stephanus enim Belæ IV. filius tres habuit filios Ladezlaum, Colomannum, Stephanum. Stephanus autem, adhuc Patre Styriam tenente, ſororem Marchionis Eſtenſis duxerat. Quo mortuo cum fratribus conſors, quia filium non habuit, iuxta morem terræ de Regno exire compellitur. Frater eius Marchio hæc audiens, in portu eam adire cœpit; & ad natales limites ſecum vehit. Aviæ tamen antequam navem aſcenderet, monſtravit ſe claris indiciis imprægnatam; & peperit filium, quem Andream vocavit. Succeſſu temporis ipſa nupſit ditiſſimo & potentiſſimo Venetorum, qui puerum Regalem educavit. Cognito, quod Regum Hungariæ poſteritas iam ceſſaſſet, Andream Regis* (filium) *publicavit.* Eadem Horneckius in Chron. Rythmico Germanico Cap. XCVII. cui tamen minus indulgeas, quod vivente ipſo Andrea III. ſcripſerit.

2) Gualvanus de la Flamma Ord. Præd. in Manipulo Flor. col. 662. T. XI. *Mo-*

tenella in ætate Patre orbata ſoli providæ Numinis diſpoſitioni futuram dignitatem debuit. Cum enim an. MCCXV. parentem immaturo fato (3) amiſiſſet, qui ipſe vix triennium (4) imperaverat, ſuæ matris, de qua tamen certi nihil (5) conſtat, ſeu aviæ opera ſic educata eſt, ut virtutibus regio throno dignis imbueretur. Iam vigeſimum annum apud Eſtem tranſigebat, cum ab Andrea Hungariæ Rege ſecundum viduo miſſi Legati eam ſponſam peterent. Dubitatum fuit, unde Andreas in notitiam ejus venerit. Aliqui reduci ex bello ſacro eam placuiſſe & petitam fuiſſe exi-

---

Moriens unam filiam, quæ dicta eſt Beatrix, dimiſit, quam Andreas Rex Ungariæ duxit, de qua Stephanum genuit.

3) Monachus Patav. lib. I. (T. V. Muratorii ſcriptor. rer. Ital. col. 669.) *Anno Dom. MCCXV. cum Marchio Aldrevandinus de Comitibus Celanæ, qui partem Ottonis favebant in Marchia Anconitana, nobiliter triumphaſſet, in ipſo fervore iuventutis naturæ legibus ſatisfecit.* Rolandinus lib. I. cap. XV. *Ipſe vero Marchio poſt multa facta & ardua, poſt multa pericula & labores, in quibus tamen prudenter & ſapienter ſe geſſerat, non eſt armis vel viribus ſuperatus, ſed ut fama fuit, proditorie teſſicatus, veneno finivit vitam in anno prædicto Domini MCCXV. in tempore ſuæ floridæ iuventutis.*

4) Monach. Pat. col. 668. *Anno Domini MCCXII. ſicut placuit ei, qui aufert ſpiritum Principum, Azo Marchio Eſtenſis & Comes Sancti Bonifacii de hac luce in menſe Novembri & in civitate Veronæ ſub paucorum dierum ſpatio ſunt ſubtracti . . . . . reliquit autem Marchio Eſtenſis duos filios Aldrevandinum iam adoleſcentem & Azonem cum propria genitrice.*

5) Dom. Papebr. in ſupplemento hiſtorico ad vitam B. Beatricis Ateſtinæ n. 1. T. II. Maji. p. 600. conficit *Eliſam* ſeu *Aloyſiam* fortaſſis Adobrandini Patris noſtræ Beatricis Coniugem fuiſſe.

exiſtimarunt. Id vero cum annis non congruit ; & Andreas Italiam nunquam vidit. Facilis tamen eſt dubii ſolutio, ſi reminiſcamur Azonis avi ſecundam Conjugem Aliſiam, quæ omnem fortunam ſuam Aulæ Hungaricæ debuerat, adhuc vixiſſe. Tametſi autem multa expendenda, tum vero ætas ſponſi provecta, & privigni haud dubie adverſi conſiderandi eſſent, illa tamen oblatis honeſtiſſimis conditionibus adſenſit. Neque (6) Azo Patruus Beatrici defuit, quin eam ſociatam compluribus Baronibus & Nobilibus viris Marcæ Anconitanæ, aliisque honoris cauſa comitatam in Hungariam miſit, utque dos honeſta conſtitueretur, ſolicite curavit. Feſtivitatem nuptialem Alba Regalis ſpectavit, ubi etiam tabulæ pactæ dotis conſcriptæ ſunt.

Fridericum quoque Imperatorem partes ſuas in conciliandis his nuptiis habuiſſe, cum præſentia Notarii ejus, tum auxilium Beatrici poſtea a Legatis ipſius præſtitum mihi perſuadent. Nihilominus, quod prævideri poterat, neque diuturna fuit hæc matrimonialis ſocietas, neque felix. Andreas enim ſequenti anno exeun-

6) Idem lib. I. ad an. MCCXXXV. col. 575. *Beatrix quondam Aldrevandini Marchionis Eſtenſis filia Andreæ Regi Hungariæ eſt matrimoniali fœdere copulata, quam Azo Marchio patruus condecenti apparatu, & bonorabili ſocietate ad tanti Regis præſentiam deſtinavit. Hoc autem matrimonium filiis Regis, Belæ ſcilicet & Colomanno diſplicuit vehementer: timebant enim, ne Pater ſenex filios de iuvencula generaret.* Rolandinus in Chron. lib. III. cap. IX. *Domina Beatrix olim filia Marchionis Aldrovandini ſociata quam pluribus Baronibus & Nobilibus de Marchia Anconitana, & aliunde Epiſcopo etiam Mantuano, ſicut ſapienter diſpoſuit D. Azo Eſtenſis Marchio eius Patruus, ivit honorabiliter & magnifice ad Regem Hungariæ, qui eam vocavit ſolemniter in ſuam Dominam & uxorem.*

eunte vivere (7) deſiit. Regina vidua uterum ferens juſſu Belæ privigni Regis arcta tenebatur cuſtodia, ne forte proceribus occaſionem præberet mutationis Imperii deſiderandæ. Commodum, an ex condicto? (neque enim iſtud ſerio a Friderico mihi factum videtur) an. MCCXXXVI. (8) adfuerunt Legati Imperatorii tributum a ſeptem & quadraginta annis prætermiſſum poſtulantes. His, dum patriam ſuam infecta cauſa repetunt, juncta Beatrix virum veſte ſimulans in Germaniam eluſis cuſtodibus evaſit, enixaque ibi prole, quam Stephanum appellavit, ad paternam domum reverſa eſt. (9) Quouſque vitam produxerit, quæve ejus fata ulte-

---

7) Anonym. Leob. col. 813. ad h. an. *Andreas Rex Hungariæ obiit.* Albericus ad an. MCCXXXV. p. 556. *Andreas Rex Hungariæ moritur, & ſepelitur in Waradino, reclamantibus Abbate & fratribus de Peliſio & ſuper hoc cauſam agentibus.* Cui Ciſtercienſi Monacho coævo res ſuorum narranti credendum eſt.

8) Albericus ad an. MCCXXXVI. *Imp. Fridericus repetit a Rege Hungariæ tributum XLVII. annorum, quod videlicet, ex quo mortuus eſt eius avus magnus Fridericus, ſolutum non fuerat.*

9) Monachus Patav. lib. I. col. 676. ad an. Dom. MCCXXXVI. *Mortuo Andrea Rege Ungariæ & regnante Bela filio eius pro eo, Imperator ſuos Legatos ad Regem Ungariæ deſtinavit. Tunc Beatrix Regina, cum eſſet gravida, timore ſui crudelis privigni iunxit ſe in reverſione ſocietati Imperialium Legatorum, induta veſte virili, & ſic deluſo Rege, qui eam faciebat cum ſumma diligentia cuſtodiri, in Alemanniam latenter confugit, peperitque ibi filium, quem Stephanum appellavit, quo nato ad paternam domum protinus eſt reverſa cum dulciſſima prole.* Riccobaldus in hiſtoria Imp. (Tom. I. Corpor. hiſtor. Germ. Eccardi col. 1171.) *Anno Chriſti MCCXXXV. Beatrix nata Aldrevandini Marchionis Eſtenſis & Anconitani, Andreæ Regi Hungariæ iam grandævo matrimonio iungitur. Anno ſequenti moritur Rex. Uxor eius habens*

ulteriora fuerint, me ignorare fateor. *Hoc certum*, ait Papebrochius (10) *eodem loco*, id eſt, Gemmulæ in Monaſterio S. Joan. Bapt. Benedictinarum Monialium *ſepultam fuiſſe Beatricem alteram hujus noſtræ Beatæ ex fratre Aldobrandino neptem, quæ mortuo ſub annum* 1235. *Andreæ Hungariæ Rege, contentiones ſuper ſucceſſione enatas fugiens in patriam ſe receperat ad hoc Monaſterium, annorumque, & meritorum plena obierat, Beatæ ſuæ amitæ imitatrix ſedula* Alii (11) idem aſſerunt, adduntque mortuam an. MCCXXXIX. honoresque Beatæ & titulos promeritam. (12) Verum vellem id ſufficienti aliquo teſtimonio demonſtratum. Vereor enim admodum, ne Beata illa Beatrix Patris ſoror ejusdem monaſterii incola hallucinandi occaſionem præbuerit. Quin vix fidem faciet conſideranti, filium parvulum alienæ curæ relictum, & ipſam monaſterium ingreſſam fuiſſe. Sed neque anteacta vita ſuſpicionem præbet Beatricem de mo-

---

bens in utero in Alemanniam fugit, timens inſidias privignorum. Ibi peperit filium, quem nominat Andream (l. Stephanum.) Conf. Chron. Eſtenſe col. 307. & Placentinum col. 593. T. XVI.

10) In actis SS. T. II. Maji p. 601. ed. Ven.

11) Timon in Epitome ad an. MCCXXXIX. Joan. Bapt. Prileszky in appendice ad Acta SS. Hungariæ p. 54.

12) Vixiſſe Beatricem adhuc an. MCCXLV. conſtat ex pactis a Bela IV. Rege cum Venetorum Republica initis, ubi diſerte cautum fuit, ne hi Beatrici eiusque filio auxilio eſſent, ſic enim in margine codicis Ambroſiani ad Dandulum lib. X. cap. V. §. XXXIX. adnotatur inter cætera: *Veneti ſe Regi eiusque amicis favorabiles promiſerunt, neque Regis inimicis auxilium aut favorem præſituros, præſertim in maritimis, neque cum illis pacta aut fœdus percuſſuros, præcipue cum Domina Beatrice, eiusque filio Regis nepote (l. fratre.)*

monaſterio ingrediendo cogitaſſe, præſertim ubi B. Salomeam Regis & Ducis Virginem Conjugem ab ipſa ad ſeculi vanitates amplectendas (13) ſæpe excitatam legimus. Filius ejus Stephanus non impetrato in patriam reditu & ab Azone avi materni fratre legitima prole deſtituto præteritus (14), an. MCCLXII. uxorem duxit divitem e Domo Traverſariorum Ravennæ, & hac mortua Thomaſinam Maurocenam Venetam, ex qua Andreas III. Rex (15) natus eſt.

---

13) In vita huius Beatæ (T. II. Art. SS Hung. p. 334.) *Sæpius excitabatur* (Salomea) *a Regina Andreæ Regis ſui ſoceri ſecunda* (l tertia) *uxore, Marchionis Eſtenſis filia, ut ad ludos, & ſpectacula aulica prodiret, quod illa conſtanter recuſavit, dicens: Domina omnem tibi parata ſum exhibere obedientiam, ſed vereor in virorum prodire conſpectum; mihi timeo comparendo, illis caveo latendo.*

14) Monachus Patav. lib. III. col. 718. *Mirabantur plurimi tunc temporis, quod Marchio* (Azo) *poſtpoſito illuſtri Stephano filio ſuæ neptis, ſcilicet Reginæ Beatricis & filiis naturalibus quam plurimis ferventiſſime amorem ſui pectoris abundantius effuderit in nepotem.*

15) Riccobaldus loc. cit. *Hic coniugio habuit neptem Paulli Traverſarii de Ravenna, quæ moriens ſuperſtitem filium reliquit, qui Patri præmortuus eſt. Idem Stephanus mox migravit Venetias, ibique coniugatus eſt Thomaſinæ de Mauroſinis, quæ illi peperit filium Andream nomine, qui hodie Hungariæ Regno potitur.* Monach. Patav. lib. III. col. 717. *Anno Dom. MCCLXII. Illuſtris iuvenis Stephanus Magnifici Andreæ Regis Hungariæ, & Nobilis Reginæ Beatricis generoſa propago, cum diutius exſpectaſſet, in curia Marchionis Eſtenſis manendo, quod frater ſuus Bela Rex Hungariæ ad miſericordiam flecteretur, ut ei ſaltem particulam Regni latiſſimi aſſignaret, videns, quod nihil proficeret, memorato Rege in ſua duritie permanente, duxit uxorem Traverſariam filiam Guylielmi filii Petri Traverſarii Civis Ravennatis Nobiliſſimi, ad quam erat paterna hæreditas devoluta. Fratris itaque perfidia impellente, nolentis habere in regno conſortem, compulſus eſt tanti Regis filius fœminam longe ſe minorem, licet ditiſſimam, ducere in uxorem.*

CA-

CATHARINA

BELÆ IV. CONJUX PRIMA.

Quemadmodum breviſſimum Catharinæ coniugium fuit, ita breviſſima eſt ejus memoria. Diplomata nomen ejus demonſtrant, quæ ipſam Reginam juniorem appellant. Datam ipſam fuiſſe Belæ impuberi tempus indicat. Attamen ſub an. MCCXVII. fatis ceſſit. Unde, quod quondam erroneum putabam, J. Sigism. Podlubcanus (1) Belam jam viduum rite vocavit, dum hic ſub an. MCCXIX. Mariam duceret.

---

1) Lib. II. cap. II.

MARIA

BELÆ IV. CONJUX ALTERA.

Vix uni Regum tot conjuges perperam attributas legas, atque Belæ IV. Boguphalus Poznanienſis Præſul ei ſororem S. Hedwigis, (1) atque adeo haud dubie *Gertrudem* dat, quæ Mater ejus fuit. Albizius (2) *Jolem* filiam Imperatoris Conſtantinopolitani, quæ ejusdem noverca prior erat. Idem ſecundam ipſi Conjugem adſcribit *Chunegundem* Ottonis pii Marchionis Brandeburgenſis filiam, quæ filio ejus Belæ debetur. Alii (3) *Mariam* Mieceslai Rutheni filiam, quam Andreæ fratri deſtinatam fuiſſe demonſtravi. Sola igitur & unica (præter Catharinam paulo ante memoratam) Conjux Belæ *Maria* Græca, non ea quidem Alexii Imperatoris, quod Dlugoſſus (4) vult, ſed Theodori Laſcaris & Annæ Comnenæ filia, non ea quidem quæſita, ſed cum præter opinionem obveniſſet, non minus amata. Cum enim ex Palæſtina redux Andreas an. MCCXXIII. terras Theodori tranſiret, Mariam hujus filiam Belæ filio (5) deſpondit, ſecumque in Unga-

---

1) In Chron. Tom. II. Somersbergii p. 71.

2) Tab. XVII.

3) Apud Piſtorium.

4) In vita Chunegundis Cap. I. n. 17.

5) Georg. Acropolita Hiſtoriæ ſuæ cap. XV. de Theodore Laſcare: *Huic ex Anna uxore, ut dixi, filiæ natæ ſunt tres, Irene, Maria & Eudocia. Mariam ſecundam Ungariæ Regis Hieroſolymis per illius ditionem revertentis filio nuptum dedit.*

Georg.

gariam adduxit. Ut felix cederet matrimonium, nihil prætermiſſum eſt. Ipſa Maria in Reginam coronata, an. MCCXX. Bela jam in legitima ætate conſtituto velut marito tradita eſt. Duraverat hæc conjunctio jam in tertium annum, cum inimico ſeminante zizania divortium publicum ſecutum eſt. (6) Scandalum publicum Præſules Patriæ, ipſumque Honorium IV. Pontificem Romanum excitavit, quorum tandem opera Bela Conjugem ſuam in gratiam

Georg. Pachymeres lib. IV. cap. XXIX. *Huic* (Theodoro) *apud nos imperanti tres tantummodo filiæ fuerunt, quarum una Regi nupta Pannoniæ, ipſius filii nunc regnantis Mater exſtitit.* Conf. Thomas Archidiac. Spalat. in Hiſtoria Salonitana cap. XXVI.

6) Hucusque dicta Ugrinus Coloc. Archiep. cum ſuffraganeis ſuis ad Pontificem perſcripſit (apud Rayn. ad an. MCCXXIII.) *Veſtræ ſignificandum duximus Sanctitati, quod cum Dominus noſter Rex Ungarorum de partibus ultramarinis rediens, per terram Nobilis viri Laſcari tranſitum faceret, filiam eiusdem filio ſuo primogenito Belæ illuſtri iam in Regem coronato, & in regni gubernacula poſt, DEO propitio, ſucceſſuro, deſponſavit uxorem, præſtito ab ipſo Rege & Nobilibus ſuis, qui tunc præſentes erant, publice iuramento, ut ad conſummationem matrimonii inter perſonas memoratas fideliter laborarent. Eandem etiam Nobilem, ut nurum decet, Regiam ſecum in ſuam terram adducens, recepto prius a Nobilibus regni, qui tunc in traductione puellæ abſentes erant, ſolemniter iuramento, filio ſuo memorato tradidit in uxorem, ipſam nihilominus, omni ſolemnitate adhibita in Reginam Ungariæ coronari faciens & inungi. Cui ſupradictus Bela illuſtris cum omni dilectione & tranquillitate in ætate legitima iam exiſtens cohabitavit per biennium & amplius, ſicut maritus: nunc autem diabolo ſeminante zizaniam, & quorundam malevolis ſuggeſtionibus perverſorum, vir legitimam, cui, poſtquam ad ætatem legitimam uterque pervenerat, per biennium & amplius cohabitarat, ut diximus, in totius regni ſcandalum & ſubverſionem Religionis Chriſtianæ dimiſit uxorem.*

tiam & thorum recepit. Verum paulo poſt patuit, ipſum Andream ſub tegmine malevolorum illorum, qui prima diſſidia curaverant, latuiſſe. Mox enim aperte a filio poſtulavit, ut Conjugem e thalamo ejiceret, reluctantemque, ut regno cum Maria excederet, coëgit. (7) At reſtituti a ſe matrimonii cauſam non deſeruit Pontifex, neque deſtitit, dum filium, ejusque Conjugem Andreæ reconciliaret. Placuiſſe DEO hanc inter Conjuges animorum conjunctionem ipſe primus Mariæ partus præter naturæ ordinem felix oſtendit, ſimulque partem virtutum ejus nobis prodidit. *Cunegundis* (Dlugoſſum (7) exſcribo) *beatæ ortus ſingularis fuit & mirificus futuram illius ſanctitatem in conceptione & in partu evidenti indicio portendens. Genitrix enim illius Maria, Hungariæ Regina conceptu tam illuſtris virginis fœcundata, onus ſe grave, & ſuæ conditioni difficile ferre in utero frequentius in auribus virorum & matronarum querebatur. Cum autem partui ſe proximam ſentiret, & ex partu imminenti ſe quam maxime periclitandam vereretur, ad ſolita remedia confugiens, cœleſtium præſidia ſibi precabatur adeſſe. Et Eccleſiam quidem, ad implorandum Sanctorum patrocinia, ob hujuscemodi cauſam ingreſſa, & orationi, procumbens in genua, devotiſſime dedita, Genitricem DEI, Virginem Mariam cæterosque Sanctos ex nomine pronuntiatos non tam precibus, quam profundis ſuſpiriis & fletibus implorans precabatur, primum ut felicem fauſtumque partum in honorem DEI & Catholicorum profectum il-*

---

7) Sic Innoc. Papa Colocenſi ceterisque Præſulibus; *Cum chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Bela primogenitus chariſſimi in Chriſto filii noſtri Andreæ Regis Ungariæ illuſtris, gravem pro eo, quod uxorem ſuam ad mandatum noſtrum recepit, perſecutionem ſuſtineat, coactus ex hoc in terram Nobilis viri Ducis Auſtriæ ſe transferre.* Apud Raynaldum ad an. MCCXXIV.

8) In Actis SS. T. V. Julii. in vita cap. I. n. 13. — 20. p. 672.

illi edere liceret. Atque illi in hac ipsa oratione sedulius perseveranti, mirum in modum vox divinitus emissa, & quæ pavoris illi periculum demeret, intonuit aiens: Pone, inquit, metum, Maria, & orationes tuas in conspectu Altissimi scias exauditas fore: nam & in partu periclitari non poteris, quæ gratia Redemptoris præventa fers onus saluberrimum, paritura filiam ingenuam, & tibi & populis plurimis & animabus innumeris ineffabiles profectus & gaudia allaturam: illam enim Dominus DEUS ex te mirabilius nasci disposuit in honorem suum, laudem & gloriam, mirificaturus illam in linguis, nationibus, & populis; & gentem exteram vobis vicinam illius sanctimonia, vita, doctrina, conversatione, exemplo & merito adjuturus. Eo divinæ vocis audito oraculo, celebrata in DEUM jugi gratiarum actione fletibus madens & lacrymis, quasi quodam imbre cœlesti sensit se perfusam, & omni pavore atque periclitationis metu, quo diebus superioribus angebatur, a se prorsus effugato, in devotionis fervorem & divinum amorem superno chrismate liquefactam, & ardentius incensam. Ex eo autem tempore & deinceps usque in partus diem, in raram religionem versa, sanctis actionibus se totam mancipans, aut suspiriosis aut profundis in Ecclesia excubabat deprecationibus, aut per pietatis & misericordiæ opera in Ecclesias DEI, Ministros ejus, miserabiles denique personas & quoslibes pupillos & viduas, aut egestate aliqua, aut necessitate pressos liberales eleemosynas effundebat. Cum vero tempus pariendi advenisset, sacro ante quatuor diebus refecta Dominici corporis viatico, in horam partus perveniens, filiam puicherrimam & omnibus lineamentis perfectam, omni periculo sed & dolore . . . . . circumscripto in lucem anno millesimo ducentesimo vicesimo quarto effudit. Quæ illico ortus sui primitiis cæterorum ex more & fœmina genitorum jus & morem supergressa, non vagitum dedit, non lacrymas aut gemitus aliquos effudit: sed castissimæ Virginis Mariæ, Genitricis DEI, præsentiam jam sentiens, ad salutandam illam gratia cœlesti supplente, quod natura minus habuerat, Virgo & ipsa Domini futura, ora laxat, atque in laudem ipsius diserto præconatur sermone, naturæ vi a lege, inquiens: Ave Regina cœlorum,

Mater Regis Angelorum. Terruit hæc ſua vox omnes matronas, quæ coram aderant, & ſingulæ ad inuſitatæ & dearticulatæ vocis ſonum ab infantula prolatum ſtupefactæ, ſingulari admiratione percellebantur; murmureque una ad alteram edito, quid ſibi tam nova & inuſitata vox in ætate infirma vellet, percontabantur. Sola illius Genitrix Maria Hungariæ Regina ſcrupuloſius rem conſiderans, alio mentis jubilo exultare cœpit, oraculi ſibi divinitus facti verificatum videns, & verificandum amplius ſperans fiducialius præſagium: mirantes fœminas bono animo eſſe jubens oraculi viſionem eis ex ordine narrat, atque in DEUM gratiarum debitas concinit laudes. Id novum in auribus alterius parentis Belæ Hungariæ Regis pontificumque & Optimatum ac procerum ejus celebri ſermone vulgatum, novam ſingulis exultationem attulit, & ad glorificandum clementiam Altiſſimi mentes ſingulorum coëgit. Tametſi vero hæ ſingulares gratiæ in poſterioribus partubus Mariæ non fuerint indultæ, plerarumque tamen prolium ejus pia, ſanctaque converſatio oſtendit, ipſam non minus pro iisdem DEUM deprecatam, & in earum educatione fuiſſe ſolicitam: ipſa, dum licuit, lactabat infantes, in eodem cubiculo ſingulis diebus ſacrificium Miſſæ DEO offerebatur, Virgines & matronæ nonniſi maturitate & devotione eminentes educationi adjungebantur, nutritius & curator tam nobilitate, quam religione pollens ex omni Hungarorum cœtu eligebatur. (9) Sed etiam cum emancipati a virtutis ſemita declinabant, non deſtitit adhortari, increpare, DEUM Sanctosque invocare, dum reſtituerentur. Teſtis eſt epiſtola, qua ſe interceſſione B. Joannis Boſnenſis Epiſcopi pacem obtinuiſſe filium inter & Patrem ad Patres Ordinis S. Dominici Argentinæ conſcripſit: (10) *Reverendis in Chriſto Fratribus Generali Ordinis Prædicatorum & Diffinitoribus Capituli Generalis Maria DEI gratia Hungariæ Regina Styriæ Duciſſa, & Chriſti famula amo-*

ris

9) Apud Rayn. ad h. a.

10) Apud eundem ad an. MCCLXIV.

ris vinculum & devotam reverenciam. Etſi plurima miracula atque prodigia, quæ per F. M. Fratris Joannis Epiſcopi Boſſinenſis Generalis Ordinis veſtri merita ab hominibus vulgo facta commemorantur, ego ſigillatim deſcribere non valeo: unum tamen, quod ejusdem meritis in me factum eſt, nolo cum reliquis ſilentio præterire. Sciatis igitur, quod cum perfidorum ſubditorum ſuaſione inter dilectiſſimum mihi Belam Regem Hungariæ Dominumque meum ex una parte, & chariſſimum filium noſtrum Regem Stephanum ex alia, magna eſſet exorta diſcordia, ita ut ad manus conſerendas diſpoſiti ex utraque parte exercitus jam eſſent e regione conſtituti: ego utpote Mater utrinque afflicta, & maximo metu perculſa, dicti fratris Joannis opem imploravi. Qui eadem ipſa nocte cum alio bonæ memoriæ Fratre Gerardo Priore ejusdem Ordinis mihi apparuit: cumque in tanta anguſtia, ut mihi prænominatum filium redderent, vehementer orarem, ipſe Fr. Joannes, impreſſo ſuper me ſigno crucis dixit: En tibi filium tuum, ut optas, reſtituimus. Itaque tunc e ſomno excitata, quantum mea fragilitas tulit, Jeſu Chriſto Domino noſtro, & Glorioſæ Virgini, ut par erat, gratias egi. Die vero illuceſcente pervenit ad me Curſor cum litteris Regis Hungariæ Domini mei, quibus ſignificabat, Regem Stephanum filium meum ſe omnino Patri dediſſe, paratum efficere quicquid illi collibuiſſet. Placuit ergo meis hiſce litteris hujus viri ſanctiſſimi merita veſtræ devotioni ſignificare: viciſſim veſtram ſanctitatem rogans, ut aliorum miraculorum, quæ ſcitis illum patraſſe, me etiam certiorem reddatis. Quam vero in prolibus ſuis ſalutem procurabat, eam quoque apud exteros promovere contendebat: eluxit id præcipue, cum in reducendis a ſchiſmate Vatacio ejusque Græcis laboravit. *Exultantes* (ea de re Innocentius IV. ad an. MCCXLVII. ad ipſam ſcripſit) *exultantes accepimus & referimus gloriantes, quod pro tuis inſiſtis viribus & laboras, ut ad ſinum Matris Eccleſiæ redeat Vatacius & gens ejus. Ex quo tanto tibi majores actiones referimus gratiarum, quanto magis id ad laudem cedit & gloriam Jeſu Chriſti, exaltationem contin-*

git

git, & commodum Sponſæ ſuæ, noſtram & tuam utilitatem reſpicit pariter, & honorem. Ut igitur, chariſſima in Chriſto filia, effectus hujusmodi negotii facilius ſubſequatur, excellentiam tuam requirimus, & rogamus, quatenus aliquos nuncios viros providos & diſcretos ad præfatum Vatacium non differas deſtinare, quorum diligentiæ ſtudio & ſolicitudinis induſtria prædictus Vatacius ad unitatem Matris Eccleſiæ revertatur. Nos enim ob tui gratiam & amorem, quicquid cum honore DEI & Eccleſiæ ac ſalute ipſius animæ fieri potuerit, ſcire te volumus nos facturos. Datum Lugduni III. Kal. Febr.

Quamvis vero in paucis emineret pietate, & zelo, non defuere tamen, quibus DEUS virtutem ejus probaret. Ipſe idem filius bona a Bela Conjuge donata prætextu compoſitionis nuper (an. MCCLXII.) initæ invaſit, detinuitque, neque Bela aliud remedium in promptu habuit, niſi ut ad Urbanum IV. recurreret, Reginæque Conjugis jura commendaret. Atque hic & ſucceſſor Clemens quidem adjutoribus Patriæ Præſulibus rem ſic compoſuere, ut filius novas conditiones admitteret, donationique Matri factæ aſſentiretur. Has Clemens IV. XII. Kal. Jul. an. ſecundo (MCCLXVI.) in perpetuum approbavit; illas X. Kal. Jul. Viterbii confirmavit. (11) At hæc adverſitas non prima fuit. Major ea totique regno communis fuit, cum Tataris Ungariam depopulantibus in extremas Dalmatiæ inſulas cum ſuis ſe recipere cogeretur. Amiſſæ tum duæ filiæ Catharina & Margaritha dolorem augebant, illa tamen ipſis calamitatibus in DEUM confidentior ipſam prolem, quam utero ferebat, DEO in Ordine S. Dominici conſecrandam vovit, ſi Patriæ eliminatis Tataris reſtitueretur, (12) fi-

11) Apud Bzovium ad an. MCCLXVI.

12) Acta SS. in vita B. Margarithæ. Confer. Ferraius pag. 223. & ſeq.

fideliterque poſtea implevit, Margaritha quarto ætatis anno in Veſprimienſi Monialium ejus Ordinis cœnobio oblata. (13) Dilexerat ſane ipſa Religioſum hunc Ordinem, ex quo ſibi memoratum ſupra Gerardum confeſſorem elegerat. Alumnos quoque Ordinis Minorum S. Franciſci materno plane fovebat affectu filiæ B. Cunegundis ſuaſionibus inducta (14); ſic enim parata erat, ut non minus illa a filiabus edoceri ſe admitteret, quam ipſa illis educandis incubuerat. Ne vero aliquid diſſimulem, nævi quidam & haud leves Mariæ adſcribuntur. Talis erat, cum omni conatu impedivit, ne Stephanus Belæ ex Beatrice noverca frater in gratiam & Patriam admitteretur. (15) Plures (16) occurrunt in acerba vindicta adverſus Spalatenſes ſumpta, quam nec cives ſupplices, nec Rogerius Archiepiſcopus, nec ſubmiſſi, quibus multum tribuebat, Religioſi viri avertere poterant, ut neceſſe fuerit Belæ Mariam in Hungariam revocare. Sed errare humanum eſt. Pro-

13) Ferrarius pag. 226. & ſeq.

14) Dlugoſſus in vita B. Cunegund. cap. XIII. n. 124. p. 696. *Poſt ſingularem charitatis fervorem, quem in corde Genitricis ſuæ Reginæ Hungariæ Mariæ ad diligendum propenſius Ordinem Minorum Sancti Franciſci ingeneraverat.*

15) Monachus Patavinus (T. V. Muratorii ſcript rer. Ital. col. 718.) *Excuſare autem Regem Belam tunc quidam conabantur, dicentes, quod Rex benigne fratrem traſtaſſet, niſi uxor eius Aſtari* (Laſcaris) *Græcorum Principis filia impediſſet, quæ Regem a clementia modis, quibus poterat, aſſidue retrahebat. Dicebat namque Regi præfata Regina Latini generis inimica: Nequaquam filius Lombardæ ſimul cum filiis meis Regnum Ungariæ poſſidebit. Et ſic Rex nimis credulus huiuscemodi verbis uxoris permanſit in odio fraterno finaliter obſtinatus.*

16) Thomas Archidiac. Spalat. in Hiſt. Salonitana Cap. LI. pag. 632.

cedebat jam ſupra quinquageſimum annum matrimonium, quod nulli Hungariæ Reginarum contigit, cum an. MCCLXX. (17) Bela Conjux fatis ceſſit. Ipſa quoque haud longe poſt virum ſecuta, Strigonii cum eodem apud Fratres Minores tumulum accepit; quibus eodem prope tempore Bela filius adjunctus eſt. Poſteritas tumulo horum ſequentem epigraphem adjecit:

Aſpice rem charam tres cingunt Virginis aram
Rex, Dux, Regina, quibus aſſint gaudia trina.

Dum

---

17) Siffridus T. I. Piſtorii p. 1046. *MCCLXX. obiit Rex Ungariæ Bela.* Mon. Erphord. T. I. Piſt. p. 433. ad h. a. *Eodem anno Germanus ſanctæ Elizabeth de Marburg videlicet potens Rex Bela in Ungaria feliciter obiit. Hic enim fuit DEI ac divini officii ſolennis amator. Paululum poſt mortem præfati Regis Regina uxor eius & conſors regni natione Græca, feliciter obiit.* Confirmat id quoque Catalogus MS. Duellianus in Hiſt. Equit. Teut. P. II. p. 8.

Dies tamen mortis Belæ incerta eſt; quam enim IV. Id. Jul. aſſignant recentiores, refellit diploma Stephani filii datum MCCLXXII. Ind. XV. VIII. Kal. Jul. anno III. apud Farlati T. III. p. 286. Exiſtimo vero V. Nonas Maji quod Chron. Budenſe habet, obiiſſe. Concordat ei dies inventionis Sanctæ Crucis: diſcordat feria ſexta; unde mihi videtur authorem ex duobus Chronologiam ſuam ſumpſiſſe, quorum unus ferias, alter dies adnotaverit, quo factum eſt, ut nocte inter feriam ſextam & Sabb. mortuo Bela, alter feriam ſextam, alter V. nonas Maji, & feſtum inventionis S. Cruc. adnotarit. Lucius ait mortuum ante diem III. Jun. p. 179.

Joan. Dlugoſſus lib. VII. *Rex Bela de oſſibus Sanctorum curam gerens, miſit in Albam Regalem, & corpus B. Stephani cum aliorum Sanctorum oſſibus, & cleinodiis, & veſtibus, ornamentisque Eccleſiæ per conſortem ſuam Mariam Reginam & filium parvulum biennem, ad regiones maritimas, ad Spoletum* (Spalatum) *transmiſit.*

Dum licuit, tua dum viguit Rex Bela poteſtas,
Fraus latuit, pax firma fuit, regnavit honeſtas.

Nonnulli negant epitaphii veritatem ob complura inteſtina & externa bella. Verum author in laudem Belæ ſcribit, pacem firmam fuiſſe dum licuit, ſcilicet Regem non pro libitu bella cœpiſſe.

Proles copioſas reliquit. *Stephanus* an. MCCXXXIX. natus, de quo Albericus (18): *Natus eſt Regi Hungariæ filius maſculus, pro quo multæ factæ ſunt ſupplicationes; de cujus pueri nativitate factum eſt feſtum congratulationis mirabile in feſto Beati Lucæ, & Rex in maxima quantitate pecunias expendit, & absque numero denarios ſeminavit, & ſparſit. Archiepiſcopus autem Robertus Strigonienſis puerum baptizavit, quem Stephanum nominavit ob memoriam Sancti Stephani primi in partibus illis a Beato Adalberto baptizati; qui Archiepiſcopus ſenex & emeritus peracta quindena mortuus eſt, & ad cœleſtia regna translatus.* *BELA* ſecundo genitus, poſtea Dux Sclavoniæ & Dalmatiæ, cui an. MCCLXIV. Chunegundis Ottonis Brandeburgici Marchionis filia Poſonii deſponſata eſt. (19) mortuus paulo poſt Patrem, & cum eodem Strigonii ſepultus. *Cunegundis* ſeu Kynga prima omnium prolium nata an. MCCXXIV. nupta an. MCCXXXVIII. (20) vel ſequenti (21) Boleslao pudico. Viduata anno MCCLXXIX.

18) In Chron. ad h. a. p. 573. concordat Archidiac. cap. XXXVIII. *Miſit cum a cum Domina Maria uxore ſua & cum parvo filio Stephano adhuc bimulo ad maritimas regiones.*

19) Contin. Coſmæ Prag. ad h. a.

20) Boguphalus p. 60. Is tamen perperam eius Patrem *Boleslaum* vocat.

21) Archidiaconus Gneſnenſis p. 96. *Item anno MCCXXXIX. Boleslaus filius L. ſtcvnis filiam Belæ Regis Ungarie duxit uxorem.* Plura de ea in Act. SS. XXIV. Jul.

mortua an. MCCXCII. a morte Beatis accenſita. *CATHARINA* & *MARGARITHA* infantes an. MCCXLII. Cliſſæ mortuæ & Spalati ſepultæ. *SABINA* Palatini Comitis Moys Conjux, ut oſtendit Ladislaus Thuroczius. *CONSTANTIA* Danieli Ruſſiæ Duci nupta, (22) Mater Leonis & Romani, viduata an. MCCLXVI. (23) monaſticam dein vitam amplexa. *ANNA* Rodislai Halliciæ & Maſſoviæ Ducis Conjux, Vidua in Hungaria ſub Stephano & Ladislao Regibus vixit. (24) Mater Chunegundis & Margarithæ, Belæ quoque & Michaëlis. (25) *MARGARITHA* altera nata an. MCCXLII. quarto ætatis anno Dominicanarum Ordinem ingreſſa, & MCCLXXI. mortua. (26) *Helena* ſeu Jolentha natu minima, de qua Boguphalus Ep. Poznan. (27): *Anno MCCLVIII. Boleslaus Poloniæ Dux* (erat is Dux Caliſiienſis) *frater Przemislonis jam defuncti Helenam Bele Regis filiam . . . . . quam anno uno ante obitum Przemislonis fratris ſui* (id eſt an. MCCLVI.) *apud Boleslaum Ducem Cracoviæ ſibi copulaverat in uxorem, in terram ſuam de terra Cra-*

---

22) Dlugoſſus in vita B. Cuneg. cap. II. XXI. XXII.

23) Boguphalus p. 76. *Anno Domini MCCLXVI. Daniel Rex Ruſſiæ Leonis & Romani Pater debitum naturæ perſolvens migravit ad Chriſtum de hoc mundo.*

24) Bzovius (ad an. 1264. n. 10.) Agnetem vocat, cujus patrocinium Urbanus IV. ſuſcepit. Ea fere cauſa ob impetrata a Bela Patre clenodia fuit primi belli inter Ottocarum & Stephanum an. MCCLXXI. Crediderim eandem eſſe, quæ apud Ferrarium p. 295. & 305. occurrit nominata. Eius filia Margarita induit Monialem in Cœnobio B. V. in inſula Leporum. Ibidem p. 295.

25) Bela filius eius an. MCCLXXII. miſere occiſus eſt. Horneck c. XCVII. alique. Chunegundis nupſit Ottocaro.

26) Act. SS. XXIV. Jan.

27) In Chron. Somersbergii Tom. II. p. 71.

Cracovienſi abduxit cum ſolemnitate Regali. Præter has eſt adhuc *Eliſabetha*, copulata Henrico Bavariæ Duci. (28)

Itaque e numero prolium Belæ excludendi ſunt I. Nepos ille, quem in litteris an MCCXXXV. datis ad Pontificem, ſibi alendum eſſe ait Andreas, (29) ex una enim filiarum Andreæ natus eſt, Stephanus enim primogenitus ſemper dictus eſt. II. *CHOLOMANUS* ab Archidiacono Gneſnenſi in Chron. (30) allatus, is enim frater Belæ fuit. III. *MICHAEL* ab ipſo Stephano (31) frater appellatus; aut enim ſcriptor Belam ſcribere voluit, aut is potius Agnetis fuit filius.

---

28) Chron. Admont. T. II. col. 199. *MCCXLVII. Dominus H. Dux Bawariæ duxit in uxorem Dominam Eliſabeth filiam Regis Ungariæ.* Chron. Oſterhov. MS. ad an. MCCXLIIII. *Heinricus filius Ottonis Ducis Bavariæ duxit uxorem Eliſabeth filiam Belæ Regis Hungariæ;* & ad an. MCCLXII. *Domina Elyzabeth Duciſſa Bawariæ filia Bele Regis Ungarie IX. Kal. Novembris diem clauſit extremum.* Iterum ad an. MCCLXX. *Bela Rex Ungarie frater ſancte Elyzabeth, & Pater Elyzabeth Duciſſe Bawarie ex hac vita deceſſit, relinquens Stephanum ſuum regni ſucceſſorem. Maria etiam Regina Ungarie non poſt longum &c.* MCCLIX. Videtur tantum una cælebs ſuperfuiſſe: Alexander enim IV. Papa in litteris ſuis (apud Rayn. ad h. a.) ubi de matrimonio unius prolium cum Tartaris ineundo agit) ſic loquitur: *Si ergo quod abſit filium vel filiam tuam contingat gentilis connubii contagio maculari.*

29) Apud Raynaldum ad h. a. *Redditibus tuis, ſicut aſſeris, per Regales munificentias aſſignatis, ex eis tribus partibus tuis filiis & Nepoti, ſola, ut creditur, quarta tibi retenta.*

30) P. 92. *Item anno Domini MCCXLI. Tharſis Rex intravit Ungariam cum multis exercitibus, cui occurrit Bela Rex Ungariæ & Colomanus filius eius in prælio.*

31) In litteris an. MCCLXII. apud Prayum p. 313. *Quod ſi in ſubſidium Michaelis Ducis chariſſimi Fratris noſtri exercitum aliquem mittere nos contingat.*

ELISABETHA

STEPHANI V. CONJUX UNICA.

Vehemens mihi olim ſuſpicio erat, Stephano plures fuiſſe Conjuges, quamquam idoneis teſtibus deſtituerer. Albizius (1) enim ſola aſſertione ſua non ſufficiebat, & quæ Vit. Arenpeckius, aliique (2) narrant, tempori non conſentiebant. At jam certam habemus Eliſabetham, eamque unicam Ste-

---

1) Is quibusdam Polonis ſcriptoribus ducibus ei Fennenam tribuit, quam tamen Andreæ III. reſtitui. Conf. Blondellus p. 414.

2) Continuator Martini Poloni col. 1413. *Bela Styriam cum omni iure, quod ſibi in ipſam competeret, reſignavit, & Stephanus filius Belæ neptem Ottokari prædicti* (Ottonis Brandenburgenſis) *Marchionis filiam in uxorem accepit.* Arenpeckius in Chron. Auſtr. col. 1222. *Anno Chriſti 1261. Principes convenerunt ad faciendam concordiam inter Ottocarum Regem* Bohemiæ *&c. & Regem Hungariæ; dederunt quandam amicam Ottocari filio Regis Hungariæ Steffano in uxorem. Convenerunt itaque in Wienna cum ſponſa* Bela *Rex Hungariæ cum ſuis duobus filiis* Bela *& Steffano, & Rex Maſchoviæ, qui habebat filiam Regis* Belæ, *& tres Reges ex Servia, & 50.* (lege 5.) *Duces potentes. Volebat Rex Ottocarus Viennæ hoſpitibus ſolatia, & honores impendere. Propter hoc* (fecit) *ut Domini ſui de Auſtria feoda acciperent, & homagia facerent. Sane Hungari putantes contra eos aliquid diſponi, infecto negotio clam ad propria redierunt, quod ægre tulit Ottocarus, quod ſibi non confidebant, & ſponſam conſanguineam ſuam eis ad Poſonium miſit.* Atqui iſta ad Belam Stephani fratrem pertinent; & Eliſabetha iam tum erat in matrimonio Stephani.

Stephani Conjugem. Cumana (3) fuit ortu, formæ excellentis, & fortaſſis ad placandum eum populum deſtinata, cum is, amiſſo poſtremo Rege, integre in ſocietatem Hungarorum tranſiret, per Belam titulo jam pridem *Regis Cumaniæ* aſſumpto; quo argumento ipſam e Regia ſtirpe natam conjicere poſſumus. Non nihil etiam contribuerit ipſe affectus, quo Bela aliquando in (4) eam gentem ferri credebatur. Nuptiæ vix ante annum MCCLIIII. celebratæ ſunt; quod ætas Stephani ſuadet. Fœmina ipſa magni animi ſub an. MCCLVIII. Conjugem in Styriam (5) ſecuta eſt, mediaque inter arma Petovii ſedem tenuit. An. MCCLXII. Ladislaum filium genuit, cujus ratione haud dubie Bela ſocer Hippolytum Sacellarum Reginæ jam antea inter Canonicos Agrienſes adſcriptum Eccleſiæ S. Jacobi de Saáros, præficiendum eodem anno Lamberto Epiſcopo Agrienſi præſentavit, & conſtitui (6) obtinuit. Adhibita vero ea fuit ſolicitudo in hoc filio educando, ut & præfecti

---

3) Pachymeres lib. IV. *Uxorem e Cumanis captivam olim, ſed inſignis, ut ajunt, formæ merito e ſervitute in regnum evectam habuit.*

4) Bzovius in Annal. Eccl. ad an. MCCLI. n. VII.

5) Horneckius P. I. cap. XLIX. *Auch chom die Kuniginn ſeine frawe zu ihm dargevarn.*

Hagenus col. 1077. *Biſchoff Ulreich zaigt des Pahſts brieff; daran ſich nichtz kert Chunig Stepfan von Ungern, untz datz der Biſchoff dem von Ungern Petaw verſetzet: dar ſich der Chunig mit der Chunigin ſetzet hewslich.* Contin. Coſmæ Prag. p. 91. *Petovia tamen caſtrum, in quo dicti Regis Stephani uxor natione Cumana ſacramentis tamen fidei initiata perſonaliter tunc manebat, cum civitate, & paucis quibusdam aliis caſtris ad tempus remanſerant in dicti Regis Stephani poteſtate.*

6) V. Schmitth. Epp. Aggrienſ. T. I. p. 179.

cti eſſent digni, & quæ puerum educabant fœminæ, non niſi pietatem noſſent. Verum marito poſt biennii gubernium ipſis Kalendis Auguſti (7) an. MCCLXXII. extincto, filioque nondum per ætatem dirigendis regni habenis apto, ipſa Rempublicam gubernandam ſuſcepit, non tamen ſine magnis motibus, & Procerum nonnullorum timore. Hujus enim cauſa Magiſter Ægidius Comes Poſonienſis Vir fortiſſimus cum fratre ſuo Gregorio Reginæ Tavernico & Comite Caſtri Ferrei ad Ottocarum Bohemiæ Regem nunquam Hungaris bene conciliatum (8) profugit. Verum Eliſabetha non modo alterum horum æmulum Henricum Comitem de Guſſing ſpontaneum ſub Stephano exulem ipſorum horum fuga recupera-

---

7) Siffridus Presbyter p. 1047. *MCCLXVII. Rex Ungariæ Stephanus poſt plurima prælia inter ipſum, & Regem Boemiæ Odoacrum habita mortuus eſt.* Chron. MS. Oſterhov. ad h. a. *Stephanus Rex Hungariæ in Kalend. Auguſti moritur relinquens II. filios ſucceſſores, quorum primogenitus, ſcilicet Ladislaus ab Ungaris coronatur.* Intelligi autem ipſas *Kalendas*, ſeu primam Auguſti diem oſtendere videtur alter locus huius Chronici de exordio CC. Viennenſis ad an. MCCCXI. *Eodem anno apud Viennam Gallie in Kalendis Octobris celebratur Concilium.* Conſtat vero hoc Concilium ad Calendas has indictum fuiſſe ex litteris Clementis V. ad Philippum Franciæ Regem. Computat hinc Ladislaus annos ſuos, non ab an. MCCLXXIII. ut patebit conſideranti-

8) Chron. Auſtr. ad an. MCCLXXII. p. 464. *Eodem anno poſt mortem Stephani Regis quidam Comes dictus Magiſter Ægidius, quem Rex Ungariæ ſupra modum diligebat, timens Reginam, & Ungaros profugus venit ad Regem Boemiæ cum fratre ſuo Comite Gregorio. Hic de caſtro, quod Presburch dicitur, & aliis quibusdam caſtris fraudulenter, ac caſualiter ſe intromiſit, Regique Bohemiæ in omnibus ſpopondit ſerviturum.* Conf. Chron. Zwettl. col. 985.

ravit; (9) ſed & ipſum Ægidium paulo poſt iterum (10) recepit, qui Poſonio fidem ſuam probavit. Henricus tamen omnia rurſus corrupit Bela Maſſovienſi Duce Reginæ affini, ſcilicet mariti ſui ſororis filio crudelitate plusquam barbara interempto. (11) Tametſi vero Eliſabetha poſtremum facinus non adeo, ut par erat, graviter tulerit, ne fortaſſis animos Procerum magis alienaret, Ottocarus tamen duplex Henrici, & Ægidii crimen, traditum nempe Poſonium, & cædem conſobrini ſui indicto bello ultum ivit. Recepere lubentes Regina, & Proceres (12) bellum, verum dum Ottocarus illud adhuc differendum putat, infuſis Auſtriæ, Styriæ, & Moraviæ copiis, priores in hoſticum tranſierunt; quo tamen non

9) Ibidem. *Comes Henricus de Guzzinge, qui adhuc Rege Stephano Ungariæ ſuperſtite Ungariam exierat, Regi* Bohemiæ *adhæreus . . . . . in Ungariam rediit, a Regina, & cunctis Ungaris honorifice eſt ſuſceptus.* Conf. Anonym. Leob. col. 840.

10) Ibidem. *Comes Ægidius non per medium annum permanens, quamvis a nullo, vel a Rege, vel a ſuis aliquibus unquam læſus eſſet, penitus in terram propriam, ſcilicet Hungariam confuſe, ac peſſime eſt reverſus, & prædictum caſtrum Presburg aliis Hungaris, & Cumanis recommiſit.* Anon. Leob. Chron. Zwettl.

11) Herman. Altahenſ. ad an. MCCLXXII. p. 684. *Accidit autem, ut cum Duce Bela Duce de Matſive* (Maſſoviæ) *avunculo Regis prædicti, & Conſobrino Rege* Boemiæ *Comes idem in verba contumelioſa prorumpens occaſione præſumptæ proditionis contra ſupradictum Dominum Ladizlaum, ipſum Ducem Belam in inſula apud Budam miſerabili nece proſterneret, ita ut membra eius in fruſta conciſi Materteræ ſuæ videlicet duæ filiæ Domini Stephani Regis in monaſterio ibidem conſtitutæ colligerent, ac cum planctu, ac dolore maximo ſepelirent.*

12) Chron. Auſtr. an. MCCLXXIII. p. 464. *Cui* (Ottocaro) *ſolito more Principum Regina, & Barones Ungariæ, abſente Rege ipſorum parvulo, bellum inire ſponderunt.*

impediverunt, quin Ottocarus confirmatis animis ipſi regno vaſtitatem ingentem inferret, multasque urbes ſuæ ſubjiceret poteſtati. Pace, cui ſigillum ipſa ſuum appenderat (13) per neceſſitatem compoſita, Eliſabetha videtur regimini ceſſiſſe, non invito Gregorio Pontifice, cui delata erat, velut ſuos adhuc gentiles, licet Chriſtianis ſacris initiata foveret. (14) Profecto ipſa Ladizlai filii in Cumanas mulieres propenſio, cui alteri adſcribatur, atque imprudenti Matri, ſive quod & ipſa Cumana eſſet, ſuosque gauderet amari, ſive quod ſuæ gentis mulieres Regia in Aula clientelæ obnoxias ſervaret? Sed neque ab aliis vitiis immunis fuit, cupiditate præſertim, qua Eccleſiæ Zagrabienſis poſſeſſionem Vaska, decimas liberarum villarum de Vereucze, & Lypova, & totius Comitatus de Vereucze tam frugum, & vini, quam marturinorum, tributorum, fororum, portuum, aliorumque jurium Epiſcopalium bona invaſit, nec niſi adhortante ipſo filio, intentatisque minis Eccleſiaſticis an. MCCLXXXIV. (15) ceſſit. Hæc tamen talia non fuerunt, quin non ob alia laudem mereatur, præprimis ob obedientiam Legatis Apoſtolicis præſtitam, & fidem Catholicam pro viribus ſtabilitam. Litteras a Raynaldo (16) editas repeto: Quouſque porro vixerit, dicere non habeo. Cæterum Matrimonium hoc

---

13) Contin. Coſmæ Prag. p. 100.

14) Ita Olomucenſis Epiſcopus Papæ apud Raynaldum ad an. MCCLXXIII. *Hæc vero ſunt pericula a regno Hungariæ Chriſtianitati imminentia: primum quod in ipſo regno Cumano manutenentur, qui non ſolum alienigenis, ſed etiam ipſius regni incolis atrociter ſunt infeſti . . . . . Ecce ipſa Regina Hungariæ eſt Cumana; proximi parentes eius gentiles ſunt, & fuerunt.*

15) Litteræ huc facientes ſunt apud Prayum T. I. p. 353. Schmitth. in Epp. Agrienſ. T. I. p. 212. & 213. Péterffyum.

16) Ad an. MCCLXXX.

hoc multis prolibus fuit fœcundum, ſi omnes, qui Ladislai fratres feruntur, tales fuerunt. Certus eſt ipſe Ladislaus IV. Hunc excipit Andreas poſtmodum inſidiis Ladislai an. MCCXC. in Polonia ſubmerſus, quem Keza, aliique fratrem agnoſcunt, dubites tamen an legitimo ex thoro natus fuerit. (17) His accedunt Ladislaus, & Salomon cum Andrea fratre Regi in prælio contra Ottocarum (18) adſtantes; mireris tamen duos ſimul viventes fratres Ladislaos, & undennem puerum (hujus ætatis oportuit poſtremum fuiſſe) prælio præſentem. Horneckius addit (19) Cholomanum, niſi fortaſſis Salomonem dicere voluerit. Denique Michael Ritius (20) Stephanum natu proximum adfert; hujus nemo alius meminit, ejusque immatura mors cauſa eſſe poterit. (21) Filiæ certio-

17) Chron. Auſtr. ad an. MCCXC. p. 480. *Ladislaus Rex Ungariæ a quodam Comano occiſus eſt, & quidam, qui dicebat ſe fratrem ſuum eſſe, & potenter volebat regnare, ſubmerſus eſt.* Conf. Dlugoſſus Hiſt. Polon. lib. VII. Et in vita B. Salomeæ.

18) Keza in MS. Chron. *Adſtantes* (in prælio) *Domino Regi* (Ladislao) *fratres eiusdem Andreas, Salomon, & Ladislaus.*

19) P. I. cap. XCVII.

20) Lib. de Regib. Hung. p. 76.

21) Duos exteri tantum eum reliquiſſe filios dicunt: Horneckius. *Zwen Sün er liecz, Ladisla der ain hiez (der ander der hiez Cholman) dez underwant ſich Graf Yban, wann er im empholhen wart, daz er in zug nach ſeiner Art, der ſtarib auch darnach churzleicb.* Chron. Steron. ad an. MCCLXXII. *Stephanus Rex Hungariæ circa Kal. Auguſti moritur, relinquens duos ſucceſſores. Tunc etiam Ladislaus primogenitus ipſius ſtatim in regni ſolio collocatur.*

res ſunt: Maria Carolo Siciliæ Regi an. MCCLXXI. nupta, juris ſceptri Hungarici in Neapolitanos, & Gallos translatrix. Anna Andronico Michaelis Palæologi Conſtantinopoleos Imperatoris filio an. MCCLXXII. Conjux data; cujus tamen primum apud ſuos receptum nomen (22) ignoratur. Eliſabetha Monialis Ord. S. Dominici (23) in Inſula Leporum. Gitketha, ſeu Juditha ex Moniali Monaſterii S. Agnetis Zaviſio Rorenſi nupta diſpenſante Pontifice. (24) Fortaſſis hæ duæ fuerunt, quæ Belæ Maſſoviæ Ducis conciſa membra collegiſſe, & ſepeliiſſe feruntur. (25)

A Filio Ladislao Eliſabetha impetravit dominium Scepuſii. Fragmentum diplom. ex collectaneis MS. Belianis; *Eliſabeth D. Gr. Regina Hungariæ omnibus Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Ad univerſorum notitiam hor. ſerie volumus pervenire, quod cum Dominium Provinciæ Scepus, de gratia & favore Domini Regis Ladislai, filii noſtri cariſſimi, & Duor. Baronum ſuorum conſenſu ad noſtras manus fuiſſet devolutum &c. Datum an.* 1280.

22) Lib. IV. ubi præterea ait: *Virgini Auguſtus ſenior Annæ nomen impoſuit.* Henricus Meibomius T. I. in notis ad Bullam Auream Andronici Imp. p. 473. *Mariam* appellat; quo nomine neque apud Græcos, neque apud Ungaros venit.

23) Ferrarius p. 319. 374. 383.

24) Horneckius P. I. cap. CCIV. Vocat *Baſe, & Mumme, conſobrinam,* & refert Ladislaum eo dubitaſſe Zeviſio dare eam, quod prior eius Conjux Chunegundis, & hæc ex avo uno deſcendat.

25) Herman. Altahenſ. loc. ſupra cit. p. 22. not. 11.

ELI-

ELISABETHA
LADISLAI IV. CONJUX UNICA.

Sive Eliſabetham, ſive Iſabellam, quo ſuis olim vocata eſt nomine, Reginam hanc appellaveris, idem dixeris. Parentes ea nacta eſt Carolum I. Neapoleos & Siciliæ Regem, & Beatricem Comitem Provinciæ & Forcalquerii. Nativitatis annum ignoramus, ea tamen accidit, cum Pater in procinctu eſſet ad dicta regna ſibi vindicanda. Matrem, quæ ei in ſupremis tabulis an. MCCLXVI. tria millia librarum Turonenſium legavit, (1) præmature amiſit. Id mireris, Gallis ſcriptoribus genealogicis nihil fere præter hoc legatum de Eliſabetha innotuiſſe; ſed ita erant turbida Andegavenſibus tempora, ut etiam de ſepultura Matris ejus (2) diſputaretur. Quod ergo nobis conſtat, proſequamur.

---

1) *Item Iſabellim filiam noſtram inſtituimus nobis hæredem in tribus millibus libris Turonenſibus, & hanc pecuniæ quantitatem Carolus hæres noſter ſolvere teneatur, volentes eandem Iſabellim hac pecuniæ quantitate iure inſtitutionis eſſe contentam.* In D. Acherii ſpicilegio T. III. p. 660. ed. Paris MDCCXXIII. fol. Blondellus Tab. 84. eam perperam *Mariam* vocat, in quo etiam genealogici Galliæ ſcriptores poſteriores errarunt.

2) Litteras Pontificias (ex regeſto anni IV. ep. 520.) exhibeo ea cauſa datas: *Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum DEI chariſſimo in Chriſto filio . . . . Regi Siciliæ Illuſtri ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ultimæ decedentium voluntates ſint omnino inviolabiliter obſervandæ, & inter illas Ordinatio claræ memoriæ B. Reginæ Siciliæ Uxoris tuæ tibi ſpecialiter debebat eſſe cordi, quæ propter ſpecialem devotionis affectum, quem ad domum Fratrum Hoſpitalis Sancti Joannis Aquen. Jeroſolymitani,*

in

Ipſa data eſt in Conjugem Ladislao IV. adhuc puero anno MCCLXXII. (3) vivente quidem adhuc patre ejus Stephano, qui tamen eodem adhuc anno fatis ceſſit. Immatura hic omnia: Ladislaus decennis (4) & Eliſabetha paris aut fortaſſis adhuc aliquantum (5) minoris ætatis. Sola ſpes in prudentia & favore ſocrus, fidelitate Miniſtrorum, conſiliis Pontificis & Caroli Patris. Gregorius Papa X. præter ſalubria mox data conſilia, tactus ſolicitudine Eliſabethæ hæc ad Ladislaum ſcripſit: *Serenitatem Regiam monemus, rogamus & hortamur in Domino, ſano nihilominus conſilio ſuadentes, quatenus & Conſiliarios, & alios familiares tibi aſſumere ſtudeas, qui te in ſemita mandatorum Domini dirigant, non perverſis ſuggeſtionibus a via rectitudinis abſtrahant, nec exemplis deteſtandis abducant: tuum ſtatum pacificum diligant, tuos ſubditos foveant, & ſua lucra in alienis diſpendiis non*

---

in qua corpus bonæ memoriæ R. Comitis Provinciæ Patris ſui iacet tumulatum, gerebat, corpus ſuum cum eo ibidem pariter tumulari elegit, ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus intuitu pietatis, & ob memoriam dilectionis, quam ad eam habebas, huiusmodi voluntatem ipſius executioni facias demandari, cum Fratres prædicti parati ſint corpus eius recipere, & cum honore iuxta ordinationem ipſius facere ſepeliri. Datum Viterbii quinto Idus Julii Pontificatus noſtri anno quarto.

3) Id inde conficio, quod Stephanus Carolo I. Siciliæ Rege in litteris V. Non. Jul. an. MCCLXXI da is memorato, nihil affinitatis meminerit: ſed tamen huius memoria coniecturam facit, rem jam fuiſſe tractatam.

4) Chron. Auſtr. p. 464. *MCCLXXII. Stephanus Rex Ungariæ obiit, relinquens duos filios: Senior nomine Claudus* (Ladislaus) *habens decem annos in Regem eſt electus.* Conf. anon. Leob. col. 839. Anon. Zwetl. col. 985.

5) Itaque evidenter fabuloſum eſt, quod Petrineau de Noulis refert de Talione inter Henricum de Clermont & Carolum Patrem Eliſabethæ.

non venentur; qui erga tuam & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Reginæ Illuſtris Conſortis tuæ, chariſſimi in Chriſto filii, Caroli Regis Siciliæ natæ perſonas fidelitate ac devotione debita polleant, ſincero affectu ferveant, & conſilii maturitate clareſcant. Decet ſiquidem te, ac illos, qui tuis commodis inhiant, qui tuis proſperis eventibus delectantur, circa tuam & ipſius Reginæ cuſtadiam ſolerter intendere, ipſamque ob claram generis ſui proſapiam, ob ſingularem ſui generis claritatem, & tanti principis ſui genitoris obtentu, cujus virtus eminet, cujus probata ſtrenuitas evidentia probationis experimentalis elucet, juxta tantarum circumſtantiarum exigentiam ſingulari honore proſequi, ut eius Regis animus tibi vinculo tantæ affinitatis aſtrictus toti regno tuo, & ipſius incolis perinde aſtringatur. (6) Neque his contentus Gregorius ab Ottocaro Bohemiæ Rege & Auſtriæ Duce Hungaros armis laceſſente Eliſabethæ, ætatisque ejus ac generis rationem haberi, ideoque ab illis infeſtandis deſiſti petiit. (7) Scribens inter alia: *Serenitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus prædictas conventiones diligenter obſervans, ab omni memorati Regis Ladislai ſuorumque offenſa & injuria ſtudeas abſtinere, in hoc non ſolum ejusdem Regis Ladislai, & Chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Iſabellæ Conſortis ipſius natæ chariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Siciliæ illuſtris ætati deferens, ſed ad eundem Regem Siciliæ Virum excellentiæ tantæ, ac virtutis, cui Celſitudini tuæ utile fore credimus in ſinceritate charitatis uniri, prout te decet, attendens, noſtrisque monitionibus, quæ honorem etiam tuum reſpiciunt, cum tuæ magnitudini congruat promiſſa ſervare, taliter acquieſcens, quod ad tua commoda memorati Regis Siciliæ animum attrabas, & apud nos proinde augmentum ti-*

---

6) Apud Raynaldum ad an. MCCLXXII.

7) Ibid. ad eund. an.

tibi favoris aquiras. Primi anni magnæ ſpei erant, Ladislao ipſo, inſigni B. Margaritæ Virginis ſororis Patris ſui vix triennio antea defunctæ beneficio, ſanitati reſtituto, & humillima pietatis obſtrictæ an. MCCLXXV. teſtificatione (8) gratiſſimo. Verum paulo adoleſcentior, ubi ad bella pertractus eſt, Cumanarum mulierum amoribus abreptus Eliſabetham a ſe amovit, gentisque illius fautorem ſe præcipuum demonſtravit. (9) Cauſam regni & Reginæ ſuſcepit Pontifex, eosque paulum reſtituit (10) relapſumque iterum tum ſuis litteris, tum Caroli Siciliæ Regis ac Rudolphi Cæſaris, quos interpellaverat, adhortationibus ad rectam (11) ſemitam revocavit. Sed nimium inconſtans Ladislaus ad alia remedia Magnates an. MCCLXXXI. compulit. Igitur eum excluſis Cumanis fœminis arctiori cuſtodia conſtringunt; & Eliſabetha ad reducendum Conjugem nihil non latura ſe cum ipſo, velut rea eſſet, recludi permiſit, magna omnium ſpe ipſum novos amores, ſpemque hæredis procreandi non abjecturum. (12) Ita vero ſe geſſit Rex, ut non dubitarint eum iterum libertati ſuæ reddere, ipſo Carolo ſocero, ad cujus interceſſionem recurrerat, preces ſuas interponente. (13) Eliſabetha præterea pia adjecit opera, & dona-

8) Ferrar. p. 304.

9) Haſelbach lib. V. col. 760. *Filiam Caroli Regis Apuliæ habebat thori ſociam, ſed ea deſpecta atque repudiata, denique ſpreto coniugali . . . . filiabus adhæſit Cumanorum paganorum.* Hagenus col. 1097.

10) Apud Raynaldum ad an. MCCLXXIX. Horneckius P. I. cap. CCLXI.

11) Apud eund. Raynaldum ad an. MCCLXXX.

12) Longinus Hiſt. Pol. Lib. VII. Hagenus loc. cit.

13) Haſelbach col. 761. *Rex ergo Ladislaus ſic detentus patrocinia ſoceri ſui Caroli Re-*

nationem Annæ Belæ III. conſortis renovavit (14). At nihil fere his omnibus actum eſt. Paucos enim poſt annos Conjux mortuo ſocero (15) liberior non jam eam ſpernere & negligere, ſed etiam in carceres conjici curavit, (16) neque libertatem ad finem

---

Regis Siciliæ cœpit implorare, qui adhibitis multis precibus tandem effecit, ut facta emendatione, & Chriſtiana peracta pœnitentia a cenſuris poſſit a Legato, ſi adhuc ſupereſſet, coram Clero regni & populo abſolvi. Vereor tamen, ne Haſelbachius hæc poſtrema cum actis an. MCCLXXIX. confuderit.

14) Fridvalsky in Mineral. Hung. An. MCCLXXXIV. approbavit cum coniuge ſuo privilegium a ſocru ſua Zagrabienſi Eccleſiæ datum: *Eodem die & anno Eliſabeth Regina Hungariæ Conſors Ladislai ad petitionem Timothei Epiſcopi, inſertis eiusdem litteris Eliſabeth Reginæ Socrus ſuæ easdem & reſtitutionem prædictam D. Eliſabeth factam, in quantum ad illam ſpectare dignoſcitur, cum idem comitatus de Verovcze ſit de prædiis ac curtibus Reginalibus, approbavit.* Kercſelich Hiſt. Zagr. p. 92. Eo tempore ipſam more Regibus conſueto etiam in publicis litteris *Chariſſimam Conſortem*, & *perdilectam Coniugem* appellare conſuevit.

15) *Obiit*, teſte Triſtano Caracciolo in Genealogia eiusdem Caroli, *Togiæ anno ſalutis* 1284.

16) Apud Raynaldum ad an. MCCLXXXVII. hæc Ladislao exprobavit Honorius IV. *Poſitus es in ſpectaculum gentibus, ut tanquam criminoſus merearis a ſingulis denotari, pro eo maxime, quod religione Chriſtiana poſtpoſita vel potius abiecta in contemptum divini nominis, te cum Tartaris, Saracenis, Neugeriis, paganis inverſatione damnata confœderare te diceris, ſpecialiter vivendi cum eisdem Neugeriis norma ſumpta, & abiecta, imo potius carceri tradita immaniter Uxore propria, videlicet chariſſima in Chriſto filia noſtra E. Regina Ungariæ, illuſtri, deſæviens in te ipſum, &*

uſque vitæ ſuæ melius habuit (17), dum ipſe a Cumanis ſuis, quorum cauſa DEUM, Eccleſiam, conjugalem thorum, ipſumque regnum neglexerat, an. MCCXC. XVI. Kal. Aug. (18) interemptus eſt. Ulteriora Eliſabethæ fata incerta. Crediderim eam in patriam rediiſſe; neque enim Andreas ſucceſſor æmulæ domus fœminam regno conſpicuam pertuliſſet. Proles nullas ex Eliſabetha ſuſceptas (19) ſcimus; an vero ob ſterilitatem & factam prætenſionem cedendæ ſibi in dotem Dalmatiæ a Ladislao, quod Kercſelich (20) contendit, repudiata fuerit,

---

regiam domum Ungariæ, quæ conſuevit claris germinibus fœcundari, in ipſius domus exterminium, thorum fœdare non metuis coniugalem.

17) *Nobili muliere E. Regina Ungariæ filia claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis uxore ſua a ſe prorſus abiecta* ait adhuc Nicolaus Pontifex enumerans Ladislai ſcelera in ep. data XIII. Kal. Jun. Pontificatus an. III. apud Rayn. ad an. MCCXC. n. 28.

18) Chron. Auſtr. ad h. a. p. 450. *Ladislaus Rex Ungariæ a quodam Cumano occiſus eſt.* Mich. Madius cap. I. ad eund. an. *Eodem tempore Rex Ladislaus a Cumanis occiditur, & Andreas de Moreſinis de Venetia per Matrem in Regem Ungariæ coronatur.* p. 637. Thurocz P. II. C. LXXXI. *Feria ſecunda proxima ante feſtum Sanctæ Margaritæ Virginis & Martyris.*

19) Stero p. 573. a h. a. *Hoc anno Dominus Ladislaus Rex Ungariæ ſine hæredibus obiit.* Ranzanus ind. 16. memorat eum plures filios ex uxore Sicula accepiſſe: quod falſum eſſe ex Honorii litteris conſtat, niſi illæ fuiſſent datæ iis iam mortuis. Haſelbach. col. 763. *Sepelitur primo Chanadini, poſtea Baradini.*

20) Pag. 512.

rit, altiori eget indagine & probatione. Certe ſi ætas Conjugum conſideretur, an. MCCLXXX. ubi jam litigatum fuit, ſterilitas accuſari non poterat, & ſi ejus ratio fuiſſet, Honorius eum an. MCCLXXXVII. ob neglectam ſolicitudinem propagandæ ſtirpis arguere non potuiſſet.

Ludovicus VIII. Rex Galliæ. } Carolus Rex Siciliæ. }
Blanca . . . . . } Eliſabetha.

Raymundus Berengarius Comes Prov. & Forcalquerii. } Beatrix hæres. }
Beatrix Duciſſa Sabaudiæ. }

CLARA EUPHEMIA

SPONSA ANDREÆ III. ADHUC DUCIS.

Nata hæc Patre Alberto II. Comite Goritiæ & Euphemia Hermanni Ortenburgici Comitis filia. Eam Andreas tum adhuc Sclavoniæ Dux miſſo Legato Sponſam petiit, & obtinuit, contractu firmato dat. 6. die ineunte Junio an. MCCLXXXVI. (1) Attamen ſorte Andreæ adeo mutata, ut in Auſtriam fugere, ibique apud Albertum Ducem precario vivere deberet (2), ipſa apud ſuos perſtitit. Vixit adhuc anno MCCXCVI. quo ei Mater MCC. denarios Aquilejenſes de bonis ſuis Hardegg & Plajen aſſignavit. (3) Sane cum in illo documento Regina Hungariæ non appelletur, miror, qui animadverſum non fuerit, ultra Sponſalia cum Andrea non fuiſſe proceſſum.

---

1) Coronini Tentam. Genealog. Com. Goritiæ p. 153.

2) Horneck in Chron. P. I. cap. CCCLXXXI.

3) Coronini op. cit. p. 158. & 355.

Jacobus Card. S. Georgii ad velum aureum in vita metrica S. Cœleſtini Papæ V. lib. II. cap. 6.

Tu Carolus regni Siculi ſucceſſor avitus
Unus eras; juvenis, parva creſcente per albas
Pube genas, clarus faciem, flavusque retortam

Cæ-

Cæſariem, Regemque vocant te ſanguine Matris
Ungariæ; licet illa jugo nunc pareat oris
Andreæ, quem jura volunt præponere regno.
Non noſtrum eſt metro diſquirere regna potentum.

. . . . . } Albertus. }
. . . . . } Clara Euphemia.
Hermannus Comes Ortenburg } Euphemia. }
. . . . . .

FENNA

ANDREÆ III. PRIMA CONJUX.

Fennena ſeu (ut compendiatim ſcribitur) Fenna ipſis fortunæ injuriis clarior & felicior evaſit. Nacta illa parentes Zemomislum Cujaviæ alias Vladislavien. Ducem, & Salomeam Svatopolci Pomeraniæ Ducis filiam. (1) Verum patre a ſuis ejecto, quod Polonis exteros præferret, & tandem duodecimo exilii anno nempe MCCLXXXXVII. fatis functo (2) ipſa quoque pre

---

1) Ladislaus Suntheim in Pomeranicis (T. II. Oeffelii p. 630.) *Salomea filia Ducis Pommeraniæ uxor Seinomisl Ducis Cuiavie in Polonia, proprie in der Coy, genuit tres filios Leſtkonem, Primislaum, ac Kazimirum Duces Cuiavie & Phennenam filiam Reginam Ungariæ, & Conſtanciam filiam Abbatiſſam in Trebniz monaſterio in Sileſia.* Nonnulli rerum Polonicarum Scriptores eam temere Stephano V. attribuere; hos inter Mathias de Miechovia in Chron. Pol. lib. III. cap. LVI. p. CLXIX. *Huic Semovito ſeu Zemomislao Pater adhuc vivens Salomeam Virginem Swatopelci Pomeraniæ Ducis filiam in uxorem deſponſaverat, ex qua tres filios Leſtkonem, Przemislaum, & Kaſimirum genuit; & duas filias, Feunenam, quæ Stephano Regi Hungariæ nupſerat, & Conſtantiam Trzebnicenſis monaſterii Abbatiſſam.* Scilicet anonymum Regem determinaturi eum elegerunt, qui ſub tempus nuptiarum Patris floruit.

2) Idem Miechovia l. b. III. cap. LXII. p. CLXXXIII. *Zemomisl Cuyaviæ, alias Wladislavien. Dux filius Kazimiri Ducis Cuyaviæ, Lancitiæ, & Siradiæ: in exilio, quod duodecim annis paſſus eſt, quia Polonos eliminare, & externos fovere nitebatur) prima die Octobris anno Domini 1287. mortuus eſt, & quia nullos liberos reliquerat, Ducatus eius ad fratres pervenit.*

precario vitam ducebat. Degebat in Hungaria, cum Ybanus Comes ejus, miſertus ſimulque Auſtriaca fœdera diſturbaturus exoſa (3) ſibi, Andreæ III. ex Auſtria ad regnum evocato eam Conjugem obtulit, & perſuaſit. (4) Ita duo exules repente ad ſummam fortunam pervenerunt, resque adeo præcipitanter acta eſt, ut decimo octavo a Ladislai morte die (5) & nuptiæ celebratæ & Conjuges ambo Regia Corona Hungariæ ornati fuerint. Alba Regalis (6) hanc feſtivitatem vidit. Placuit vero Fennenæ a pietate exordium regiminis & conjugalis fœderis ponere ; quare Sororibus Inſulæ Leporum Ord S. Dominici terram Reginalem, *Sunchud* vocatam, donavit an. MCCXCI. quod Andreas eodem anno XVII. Kal. Septemb. (7) ratum habuit. Subinde eodem aut ſequenti an-

---

3) Linck. Ann. Zwetl. T. I. p. 466. Horneck. P. I. cap. CCLXIX.

4) Horneckius P. I. cap. CCCLXXXVI. quamvis hic perperam Ducis Glogoviæ filiam dicat, ut prævie monui.

5) Haſelbach in Chron. col. 675. Coronationem *octavo Idus Auguſti*, & Thuroczius *decimo octavo die*, quæ fere in idem recidunt, peractam docent. Continuator Chronici Andreæ Danduli col. 402. anticipat: *Anno Domini MCCXC. menſis Auguſti in vigilia S. Dominici de Nobilium atque Magnatum Hungariæ beneplacito ſereniſſimus iuvenis Andreaninus de regno Hungarico honorabiliter exſtitit coronatus.* Niſi alicubi eadem S. Dominici Conf. feſtivitas ſerius fuiſſet olim celebrata.

6) Henricus Murerus Carthuſianus in Vita B. Eliſabethæ Ord. S. Dominici cap. I. n. I. *Succedente Andrea, quem diximus tertio, qui Albæ coronatus regnum laudabiliter tenuit.* Conf. Horneckius loc. cit.

7) Extant litteræ apud Schmitth. in Epp. Agrienſ. T. I. p. 219. Sequenti anno in diplomate Andreæ Regis apud Peterſium T. I. CC. Hung. pag. 133. occurrit eiusdem Reginæ *Dominicus Tavarnicorum Magiſter.*

anno partu Eliſabethæ filiæ ingenti gaudio Budam totumque regnum replevit. Narravit Civis Conſtantienſis, qui tum in hac Metropoli morabatur, *quomodo ad* (8) *argumentum & augmentum publicæ propter Principem natam lætitiæ ex omnibus Budenſis Urbis turribus vini fontes fluxerint, unde cuivis volenti miniſtrabatur gratis; quodque omnes ſimul campanæ pulſatæ fuerint, Principibus regni, totaque Nobilitate gratulandi cauſa ad Aulam properantibus.* Majora ſperabatur, longiore vita comite, factura, daturaque gaudia. Verum ea brevibus nimium terminis conſtricta fuit; quippe ſub an. MCCXCV. illam cum morte commutavit. (9) Reliquit filiam unicam memotam Eliſabetham, quæ tenella adhuc an MCCXCVIII. Wenceslao Regio Bohemiæ Principi Viennæ Auſtriæ (10) deſponſata, ibidemque inter liberos fratris novercæ (11) educanda aliquamdiu relicta eſt. Eadem pacta poſt mortem Andreæ, dum Wenceslaus idem in Regem fuiſſet electus, Proceres renovarunt. (12) Verum cum Eliſabetha ad pubertatis annos perveniſſet, a ſponſo ſuo ſceptrum Bohemicum a morte Patris an. MCCCV. capeſſente ad thala-

---

8) Murerus in vit cit. cap. I. n. 2.

9) Apud Schmitth op. cit. T. I. p 230. in diplomate an. MCCXCIV. memoratur *Benedictus DEI gratia Epiſcopus Veſprimienſis aulæ Dominæ Reginæ chariſſimæ conſortis noſtræ Cancellarius.* Anno MCCXCVI. iam Agnes Andreæ nupſerat.

10) Chron. Auſtrale p. 474. Chr. Zwetl. recent. col. 533.

11) Murerus n. 3.

12) Chron. Placent. col. 593. *Perempto Rege Hungariæ illi ſucceſſit* (Andreas) *in regno avito, eoque defuncto eius nata ſuperſtes a proceribus regni data eſt nurus Regi Bohemiæ.*

lamum (13) non admiſſa & ſpreta, viciſſim Henrico Auſtriæ Duci per novercam deſtinata (14) Chriſtum immortalem ſponſum elegit, hauſtumque a Matre affectum in ſacram divi Dominici familiam ſequens in Thoſſano Turgoviæ monaſterio profeſſa vixit, & mortua (15) eſt, Beatæ titulo & honoribus etiam inter Ulrici Zwinglii aſſeclas nondum extinctis condecorata. De hac iterum in Agnete Habſpurgica fiet mentio. Fortaſſis quispiam Wenceslai & Henrici ſponſas diſtinguere conetur. Ego nullam idoneam cauſam video, filias duas ejusdem nominis iisdem parentibus ſimul viventes aſſignandi. Acta vero hujus Beatæ, ut ab Henrico Murero congeſta ſunt, chronotaxis (16) aliisque vitiis multipliciter laborant.

---

13) Horneckius op. cit. P. II. cap. DCCLV. p. 744. & DCCLXXII. p. 764.

14) Negat id Hergott P. II. T. III. ob ætatem Henrici.

15) Hæc ex Murero cit.

16) Exemplo ſit: Si Eliſabetha potuit an. MCCCV. poſtulare ad thalamum admitti, oportuit eam an. MCCXCI. aut ad ſummum an. MCCXCII. natam fuiſſe; non vero an. MCCXCVII. ut habet Murerus. Quod præterea inde omnino repugnat, cum Mater jam an. MCCXCV. vita exceſſerit.

. . . . . } Zemomisl. } Fennena.
. . . . . }

Suatoplucus Dux Pomeraniæ. } Salomea. }

. . . . . .

Eliſabetha Rom. Reg. Frid. Conjux ſupremis in tabulis anno MCCCXXVIII. (Cod dipl. Pezii P. III. p. 14.) legavit: Hinz tözze den Predigerinn zwo Marchk und Schweſter Elsbeten des Chúniges Tochter von Ungern, di in demſelben Cloſter iſt, fünff Marchk.

Inſignia eius crucem referunt, ad cuius pedem ſpica enaſcitur.

AGNES

ANDREÆ III. SECUNDA CONJUX.

Affine quidpiam inter primam & ultimam Reginarum Hungariæ primæ ſtirpis reperio, utraque clarior ceteris, utraque a viri morte monaſterii incola. Nata eſt Agnes Alberto Duce Auſtriæ poſtea Imp. & Eliſabetha Tyrolenſi. Præferebat hæc jam a teneris maturam pietatem, illa choreas vitare torneamenta & haſtiludia negligere, pietatis operibus incumbere. (1) Andreas adhuc in Auſtria commoratus eam ſibi deſponſandam videtur petiiſſe, ſed dum regnorum cauſa ſæpe Principes, non affectu matrimonia ineunt, Fenna ab eodem prælata eſt. Deſtinata inde fuit cuidam Romano e Columnenſi familia, ſed hoc precibus ad DEUM fuſis ipſa creditur diſturbaſſe. (2) Mortua tamen prima Conjuge eam an. MCCXCVI. impetravit. (3) Nuptiæ celebrantur.

---

1) Haſelbach. col. 747. *Secunda filia Alberti Regis Agnes DEO devota, quæ huius mundi ſpectacula, haſtiludia, & choreas, & torneamenta poſſetenus declinavit, & in precibus ad DEUM ſuum creatorem aſſidua extitit, & ſi talis fuit iunior cæteris, tamen ſeniores exceſſit in bonis moribus.*

2) Idem loc. cit. *Hæc in flore iuventutis Romano cuidam de Columna fuit deſponſata, ſed tamen ipſius tandem thorum declinavit.* Hagenus col. 1137. *Sie ward vermehelt an ainen Herrn von der Columpnen (den wir von der Sewle ſprechen zu dewtſche) ainen edlen Röuer: doch unterſtund ſie mit Gebette, daz ſie ward ſeines bettes überhaben.* Lequileus Piet. Auſtr. p. 262. ait fuiſſe Fridericum de Columna.

3) Paltramus Vatzo col. 723. ad h. a. Chron. Zwetl. col. 533. ubi tamen perperam *Katherina* appellatur.

lebratæ ſunt ante Bacchi ferias. (4) Dotem dedit Pater quadraginta millia marcarum argenti. Andreas viciſſim Comitatum Poſonienſem, caſtrum ſcilicet Poſonienſe, inſulam Csalóköz aliaque regni dari conſueta loca ſpopondit, (5) & ſequenti anno litteris IV. Nonas Nov. datis confirmavit. (6) Id præcipue Andreæ ipſi ſalutare fuit, ut Agnetis exemplo & adhortatione in timore Domini profecerit, (7) liberalitas vero ejus in ſacra etiam in longinquas terras effunderetur. (8) Cum in generali regni congregatione ſingulis annis in Campo Rákos celebrata, Agnes animadverteret multos adhuc in populo ſuo ſupereſſe, qui neque ſanæ fidei, neque rectæ vitæ eſſent, effecit, ordinavitque, ut eo etiam Præcones verbi divini, operarii agri Domini accerſerentur. (9) Duravit connubi-

4) Hiſtoria Auſtr. plenior T. I. Freheri col. 482. ad an. MCCXCV. *Ante carnis privium Andreas Rex Ungariæ cum magna ſolemnitate duxit in uxorem filiam Domini Alberti Ducis Auſtriæ.* Author annum a paſchate computat.

5) Haſelbach. col. 765. *Cui* (Agneti) *pater in dotem quadraginta millia marcarum argenti tradidit, imo verius paraphernalia; Rex vero Andreas pro refuſione præmiſſorum dominium oppidi Poſonienſis una cum Schütte e regione conſignavit an. Domini 1296.* Conf. Hagenus col. 1137.

6) Extant litteræ apud Frolich diplomat. Styriæ ſacræ. Easdem correctiores dedit Hergott inter monumenta Habſpurg. T. III. p. I. p. 2. ubi fruſtra impugnat annum; qui recte expreſſus eſt, neque alteri diplomati repugnat.

7) Haſelbach col. 765. *Sicut ipſa timorata & DEO devota extitit, ita virum ſuum Regem timere DEUM docuit.*

8) Necrologium Wettingenſe apud Hergott (Tom. III. geneal. Auſtr. p. 842.) ad XIX. Kal. Febr. memorat: *Ob. Andreas Magnificus Rex Ungariæ, qui contulit nobis LX. marcas, & debet conventus procurari cum honeſto ſervitio.*

9) Hagenus col. 1138. *Unter andern Dingen hett Chunig Andre ainen Siten, daz er alle*

bium quinquennio, dum fruſtra cum Gregorio Strigonienſi electo Præſule tentata concordia, aliisque plurimis in Caroli Neapolitani partes inclinantibus Andreas XIX. Kal. Febr. an. MCCCI. e vivis abiit apud FF. Minores ad S. Joannem ſepultus. (10) Luxit mortem Conjugis acerbe, utque animæ ipſius quoquomodo ſuccurreret, aſſumptis voluntariis corporis caſtigationibus juſtitiæ divinæ ſatisfacere conata eſt, utque pie creditum eſt, a miſericordia Domini ſalutem viri æternam impetravit. (11) Interim Budæ capti-

---

alle Jar erzaigte ſeiner Macht fürtrefflichait. Darum berufft Er all ſein Fürſten und Herrn, Richter, Ritter, und Cbnechte, und allerhand Geſchlecht, und lewte in ſeinen Land und Reicb geſeſſen: under den auch waren vil unglawbige Lewte zwiſchen In ſelbs unterſchaiden an irrung ires lebens, und glawbens. Do daz die Edel Chünigin frau Agnes bedachte, da ſchuff ſie, und ordent, daz die Prediger göttleiches wortes wurden geſammet, die da bawlewt waren des göttlichen Ackers Chriſtens glawbens. Quod hic ad vanitatem Hagenus transfert, dietam regni ſeu generalem congregationem ſingulis annis celebrari ſolitam intellige; ſcilicet ignarus finis rem vanam exiſtimavit. Patet hinc, qui Religioſi comitiis interfuerint illis temporibus, quo argumentum Kercſelichii conficitur.

10) Necrol. Wetting. ſup. cit Madius cap. III. p. 638. *Audiens vero Andreas Budæ Regem Carolum veniſſe ad occupandum regnum prædictum, moritur, & ibidem honorifice ſepelitur* Henricus Præpoſ. Oetting. in Chron. p. 693. *MCCC. Moritur Rex Andreas Hungariæ ſine hæredibus.* Eberardus Ratisbon. Archidiac. ad *h.* an *Mortuus eſt Andreas Rex Hungariæ ſine hæredibus.*

11) Haſelbach. col. 765. *Eo vero ſublato in viduitate degens induta ad nudam carnem cilicio deſuper viduitatis veſtibus tegebatur, inceſſanter exorans pro viri ſalute, ut ſi ſo ipſum ob vitæ negligentiam levis aliqua macula fœdaſſet, pro quo purgatorii pœnis piandus foret, ipſum divina clementia abſolveret gratioſius. Quod & factum pie*

d

ptiva tenebatur, dum Hermannus de Landenberg Auſtriæ Mare-ſchallus, occupato, ſocia Comitis Ybani opera, S. Martini caſtro, deductoque Budam exercitu eam cum privigna Viennam reduxit (12). Perſtitit ipſa apud ſuos uſque ad an. MCCCVIII. quo ſu latum nefanda cæde Albertum Patrem ultura cum eadem privigna ſua in Hungariam rediit (13); quo ſub tempore videtur Neſiderii habitaſſe, & Sacellum notum frequentaſſe (14) Quamvis autem pacato nondum regno nihil ſubſidiorum obtinuerit, quantum ſua ex parte poterat, cum fratribus ſuis cædis auth-res, & complices ſic perſecuta eſt, ut dein ipſam graviter pœnituerit. (15) Verum

---

ditur. Nam dum pro eodem Rege vice una preces ſuas effudiſſet in conſpectu Domini, quædam vox ſibi inſonuiſſe refertur: Beata hora, qua nata es, nam ego Andreas tuo interventu properabo ad regna cœleſtia. Conf. Hagenus col. 1138.

12) Chron. Auſtr. plenior p. 486. ad h. an. *Andreas Rex Ungariæ mortuus eſt, poſt cuius mortem Marſchallus Auſtriæ Hermannus de Landeberch collecto exercitu, cooperante Ywano Comite Ungaro caſtrum in monte S. Martini obſedit & cepit, cum iisdem hominibus in Budam pergens, Dominam Reginam relictam prædicti Domini Andreæ, filiam Domini Alberti Romanorum Regis in Viennam honorifice reduxit.* Conf. Haſelbach col. 765. Paltramus Vatzo col. 724.

13) Murerus in vita B. Eliſabethæ n. III. *Sub hæc anno MCCCVIII. 1. Maii apud Vindoniſſam caſtrum Helvetiæ, cæſus eſt Rex Albertus pater Agnetis, a fratris ſui filio Joanne, cuius mortem ultura Regina, cum ſua privigna in Hungariam rediit.*

14) Timon. Epit. Chron. Rerum Hung.

15) Murerus loc. cit. *Neque ſolum cum fratribus ſuis Auſtriæ Ducibus perſecuta eſt reos cædis ſed eorum etiam viduas, liberosque innoxios, & conſanguineos plerosque in mortem tradidit: terras autem & caſtella eorundem incendiis populationibusque vaſtavit. Super quibus malis tantoque effuſo ſanguine, graviter tandem compuncta eſt Eliſabeth, nec minus Regina ejus Noverca.*

non reditura amplius in Hungrriam bona ſua dotalitia cum fratribus permutavit, (16) quæ poſtea Fridericus Germanus ejus Carolo Regi reſtiruit auxiliares copias adverſus Ludovicum Bavarum pactus. (17) Agnes porro cum Matre ſua Königsfeldæ eo loci, quo Albertus Pater occubuerat, cœnobia duo S. Franciſci regulæ dicata, Virorum alterum, alterum Virginum excitavit, ubi potiſſimam partem reliquæ vitæ exegit. (18) Non modicam ei curam fecerat Eliſabetha privigna; primum quidem eam ſecum habitare cupiverat, cum tamen illa monaſterium Thoſanum Ordinis S. Dominici elegiſſet, ſic ejus ſpirituali profectui ſtuduit, ut non ſolum ei dignam Magiſtram conſtituerit, ſed etiam omnia ſolerter præciderit,

16) Primum deſtinaverat illa in dotem privignæ ſuæ referente Murero: *Relicta eius Agnes proceribus perſuaſit, ut Eliſabetha deſponſaretur Henrico Duci Auſtriæ fratri ſuo, tranſcripta in ipſum dote propria, quæ ad trecenta Hungaricorum millia numerabatur.* Albertus Argent. p. 681. *cuius fratres poſteo Bresburg recipientes, dederunt ipſi Reginæ relictæ alia bona.*

17) Albertus Argent. loc. cit. *Captis autem Hainrico & Friderico Ducibus Auſtriæ Carolus Rex Hungariæ ab ipſis* Bresburg *extorſit.* Continuator Martini Poloni (T. I. Eccarti col. 1443.) ad an. MCCCXV. *Fredericus . . . . cernens, quod ſine potentia virium Ludovicum ſuperare non poterat, requirit Regem Hungariæ vicaria vice, ſibi ſuum auxilium præſtet, ſicut alias eidem promiſerat, pro quo auxilio conſequendo Fredericus reſtituit terras certas, ſcilicet Poſonium cum omnibus ſuis pertinentiis, quod ſoror Ducum Auſtriæ Agnes relicta Andreæ Regis Hungariæ quondam nomine dotalicii ab ipſo Rege receperat.*

18) Arenpeck col. 1237. Martinus Fuldenſis in Chron. col. 1721. *Hoc Monaſterium ſic fundatum per Dominam Eliſabeth primum, Domina Agnes Regina quædam* (fortaſſis *quondam*) *Ungariæ filii Regis Alberti perfecit, ac multis poſſeſſionibus ditavit, ac habitando ibidem Sanctam converſationem duxit.*

derit, quæ animum ipſius ad mundanas vanitates abripere poſſent. Licet autem adeo parca fuerit adminiſtra, ut pene avaritiæ aut miſericordiæ neglectæ accuſaretur, fecit nihilominus ad ſpiritualem Eliſabethæ profectum, & tamen eam ſordibus ſquallere volentem æquis oculis non ferebat, cumque Beatæ hujus Virginis ſepulturæ non absque ſignis patratæ interfuiſſet, Monaſterium illud multis beneficiis cumulavit. (19) Ultimum hoc fuit, quod Regina Hungariæ præſtitit. Neque tamen in his ſubſtitit Agnetis liberalitas. Exuſtum enim Witichenſe S. Claræ Virginum cœnobium reſtauravit, & amplis reditibus ſtabilivit, communis Mater omnium afflictorum, & digniſſima, cujus reliqui privatæ vitæ actus fuſius recenſeantur, ſi quis fœminarum vitæ probitate Hungariam olim illuſtrantium ſeriem publico tranſcriberet; qua in re Hagenus (20) copioſam materiam ſubminiſtraret: aliaque alibi occurrerent, ut cum Bernenſes Auſtriæ Ducibus anno MCCCXXXIX. conciliavit. (21) Fatis ceſſit an. MCCCLXIV. IV. Idus Junii, & Königs-

19) Fuſius hæc Murerus, quem conſule. Cui ex Hageno col. 1139. brevem relationem adjicio: *Fraw Agnes die Kunigin hett ain Stewſtochter, die hiez fraw Elizabeth, die waz weylend Chunig Andres Tochtter von ainer andern frawen, dieſelb furt ſie mit Ir von Ungern, und ſchuff ſie zu lernen, und lernet ſie auch ſelber, und tet ſie darnach in daz Cloſter zu Thoſs, und erlewcht auch daz Chloſter mit maniger hande chlaynod und gaben. Sie gab beſunderleich dar ain Chrewz für hundert Marck Silbers geſeczet. Sy pflag offte diſe Ir Tochtter zu ſehen. Darnach ſtarb fraw Elizabeth ee dan fraw Agnes, und beſchlozz ir hailiges Leben mit gar ainen andechtigen End.*

20) Loc. cit.

21) Joannes Vitoduranus in Chron. (Inter ſcriptores Helvetos p. 53.) ad annum MCCCXXXIX.

Königsfeldæ ſepulta eſt, (22) quievitque ibidem, dum an. MDCCLXX. cum reliquis Habſpurgicæ familiæ principibus inde ad S. Blaſium in Hercynia ſylva translata eſt juſſu Auguſtæ Thereſiæ. Eſt, qui tribuat ei filiam Catharinam ex Andrea. Verum id veteres omnes (23) negant. Anno MCCCVI. impetravit Zwetlenſi-

---

MCCCXXXIX. *Inſuper eodem anno, dum* Bernenſes *per advocatos Ducum Auſtriæ, & per inediam damnificati in rebus & corporibus notabiliter, quod longa indigeret narratione, nimis fuiſſent, & conſequenter territi & humiliati, pacis fœdera petierunt, quæ per Reverendos Dominos, & viros alios induſtrios ad hoc electos mature ſagaciterque tractata ſunt, & legitime conſummata. Hæc peracta ſunt in campo Regis, Domina Regina Hungariæ ibidem habitante efficaciter ſe interponente, & niſum viſceroſum & præcordialem ad hoc perficiendum præbente: nam ſibi non parum cordi erat hoc fieri, penſans hominum ſtragem iam factam, & in futuro pernicioſiorem pertimeſcendam, & terræ circumiacentis deſolationem . . . . facta ſunt autem hæc anno prænominato menſe Auguſto.*

Henrici Sviceri Chronologia Helvetica ad an. MCCCXL. *Exules Tiguriſi non ſervantes pacem, interceſſione Agnetis Reginæ Ungariæ civitati reconciliantur.*

22) Necrol. Wetting p. 485. ad *IV. Idus Junii: Anno Domini MCCCLXIV. Obiit Domina Agnes quondam Regina Ungariæ fundatrix monaſterii in campo Regis inclita mater pauperum & Religioſorum. Celebratur in Kunigsfelden.* Necrol. Wurmſpacenſe habet *VII. Cal. Jul.* Ibid. p. 849.

23) Albertus Argent. *Item Agnes ducens Andream Regem Ungariæ ſine liberis defuncta, quæ hodierno die ducit vitam ſanctam & beatam.* Hergott tribuit ei p. 24. T. III. P. II. filiam cognominem Agnetem, quæ cum ipſa Königsfeldæ vixerit. Fuggerus ait eſſe, qui dicant, filiolam ſui nominis fuiſſe in infantia mortuam.

ſibus conſenſum & confirmationem fratris ſui Rudolphi ſuper emptione certorum bonorum in animæ ſuæ remedium. (24)

14) Linck T. I. p. 579. An. MCCCXXIV. fundat anniverſaria ſacra pro marito ſuo a monaſterio S. Claræ Viennæ celebranda. Extat apud Hergott inter Monumenta T. III. P. I. p. 3. Eodem anno Henricus Placidus Dux confirmat eius teſtamentum. Ibid. p. 3. Haſelbach dicit eam veſte griſea inceſſiſſe; id quod aliquando feciſſe potuit devotionis & humilitatis cauſa. Picturæ variant. Habitabat in domo penes Monaſterium Virginum, & Clemens Papa an. MCCXLIII. Kal. Aug. ei indulſit, ut inde cum ſex matronis honeſtis monaſterium ingredi, ibidem comedere, bibere, colloqui, & divinis officiis intereſſe poſſit. Clemens V. apud Wadingum in regeſt. Pont. ad T. IV. p. 540. *Monaſterium de Campo Regis . . . . quod te conſtrui feciſſe ac de bonis propriis dotaſſe aſſeris . . . . Datum apud Novam Villam Avenion. Diœceſis Kal. Aug. Anno III.*

Parthenonem Viennenſem Ord. Præmonſtr. ad cœli portam reſtauravit, ditavit, auxitque ſecundæ Fundatricis nomen promerita. Factum inde eſt, ut plerumque Hungaræ eſſent Virgines, donec omnibus an. MDLXXXVI. peſte abreptis, ultima, quæ ſuperfuerat, relicto monaſterio vitæ ſalutisque cauſa in patriam fuerit regreſſa.

Monaſterium Thoſſanum ſive ab Eliſab. ſive ab Agnete (quod Stumpfius vult l. V. c. 30.) accepit inſignia Ungarica. Ab Andreæ morte a variis procis expetita fuit. Sunt apud Hofmannum p. 76. qui dicant Henrico Vratislaviæ Duci nupſiſſe; alii apud Zepke Henrico irrito conatu deſponſatam.

Felix Faber lib. I. Hiſtoriæ Suevor. p. 47. *Domina Agnes Regina Hungariæ ſub caſtro Kyburg prope oppidum Winttertur ædificavit aliud grande monaſterium Monia-*

nialium Ordinis Prædicatorum ſuper ripam Toeſs, a quo etiam monaſterium nomen habet, & Toeſs dicitur, & ipſum monaſterium multis divitiis ditavit, in quo uſque hodie ancillæ Chriſti manent. In ipſo etiam caſtro Kyburg capellam pulchram ædificavit in honorem depoſitionis Dominici corporis de cruce, ad quam nonnunquam de longinquis partibus peregrinantur homines pro veneratione crucis, ſicut ſæpe vidi me moram in caſtro trahente. In lapide ſuperiore oſtii, qui eſt ſupra caput capellam ingredientis, eſt ſculptus clipeus cum inſigniis Regni Hungariæ. Hanc Capellam conſtruxit propter Imperiales Reliquias, quæ hodie Nürembergæ conſervantur, quæ tunc in Kyburg ſervabantur tanquam in loco tutiſſimo.

In feneſtra Eccleſiæ Königsfeldenſis expreſſa vivens fuit, cum hac ſubſcriptione: ILLUSTRISSIMA DNA DNA AGNES QUONDAM REGINA HUNGARIÆ FILIA DNI ALBERTI REGIS ROM. PER CUIUS PROCURATIONEM ISTA DUO MONASTERIA PLENE SUNT ÆDIFICATA.

Apud Hergott. Monument. Habſpurg. T. III. P. II. p. 26. ANNO DOMINI. M. CCC. OBIIT SERENISSIMUS DN'S DN'S ANDREAS REX HUNGARIÆ CONTHORALIS QUONDAM DNÆ AGNETIS REGINÆ HUNGARIÆ. *Ibid.* in feneſtra.

ANI-

Animadverſiones criticæ ipſius Authoris in quasdam Reginas, quæ tardius in manus editoris pervenerunt.

GISELA accuſatur Vazulis excœcati, ne Petrus a throno excluderetur, ea deinde fertur occiſa. Hæc utique de S. Stephani Conjuge aſſeri non poſſunt. Attamen Vazulem excœcatum meram fabulam dicere etiam non eſt facile, quod plerumque falſis aliquid veri admixtum ſit. Suſpicor ergo duas ejusdem temporis Giſelas Reginas confuſas, Matrem ſcilicet Petri, & Conjugem S. Stephani: illam Petro imperante Reginam pro Hungarorum more, qui Matres Regias, etiamſi nunquam coronatæ fuerint, tali honore nominant, (1) fuiſſe dictam; quo admiſſo nemo mirabitur, ſi Mater ſtabiliendi filio imperii cauſa multa tentarit, ſi eadem poſtea tumultuante adverſus Petrum populo fuit occiſa. At cujus illa olim Conjux? Nihil minus certi quam hoc. Nonnulli Wilhelmo Pictavienſi illam tribuunt. Sed cur ſcriptores Germani, qui Adalbertum Auſtriæ Marchionem Petri Levirum dicunt, non æque Henricum Imp., quem tamen Wilhelmi hujus filiam Agnetem Conjugem habuiſſe certum eſt, Petri Levirum, Adalberti affinem appellant? Cur inter cauſas Petri vindicati non fuit aſſignata affinitas? Sed neque verum eſt Wilhelmum hunc &

1) Sic Andreas III. Matrem ſuam Thomaſinam (apud Péterfium Tom. I. p. 133.) *aſſiſtente nobis eadem Domina Th. Regina Seniori, Chariſſima Matre noſtra*; ſic Mathias Corvinus Matrem Eliſabetham Reginam appellavit.

Ottonem Venetorum Ducem, cui Soror S. Stephani nupſerat, eundem eſſe. Hic enim fuit Urſeolus genere. Wilhelmus mortuus eſt an. MXXVI. (2) Iſte eo anno in exilium miſſus, (3) & anno MXXXI. defunctus eſt. Donec igitur res magis pateat, credam Giſelam nupſiſſe primitus cuidam Wilhelmo Alemanno, unde natus eſt Petrus & uxor Adalberti. Inde mortuo Wilhelmo, factam fuiſſe Conjugem Ottonis Venetorum Ducis, qui poſt annum MIX. *filiam Geyſæ* (teſte Dandulo) *Regis Hungarorum, & ſororem Stephani ſucceſſoris duxit in uxorem, mulierem utique generoſitate ſerenam, facie facundam, & honeſtate præclaram:* unde Petrus natione Alemannus, educatione Venetus dictus eſt. Giſela aut Ottone anno MXXVI. in exilium abacto, aut eo an. MXXXI. mortuo in Hungariam veniſſe videtur. Verum in re obſcura nihil ultra conjecturam.

SORORIS Petri Regis nomen controvertitur. Diplomata Henrici III. Imp. de an. MXLVIII. MLI. & MLVIII. (4) nominant *Froilam.* Chronographus Mellicenſis, Clauſtroneob. Necrol. Mellic. Sundheimius, Arenpeckius, Haſelbachius *Adelaidem* vocant. Viciſſim Leopoldi Adalberto geniti Conjugem *Froizam*, *Frowizam*, aut *Fruwizam* appellant. Hanthalerus (5) errori Notariorum tribuit, ut

---

2) Chron. S. Benigni Sæc. VI. Bened. P. II. p. 40.

3) Dandulus Chron. cap. III. p. 239.
Laurentius de Monacis lib. IV. p. 76. narrat Ottonem an. MVIII, Patri ſucceſſiſſe, eundemque *Anno 18. Juæ ætatis filiam Geicæ Regis Ungariæ ſibi matrimonii fœderi copulaviſſe.* Quod, ait Kercſelich p. 150. cauſa fuerit favorum Ottonis III.

4) Priora duo edita ſunt in Chron. Gottwic. lib. II. p. 263. Omnia vero adhuc integra extant in Archivo Cæſareo.

5) T. I. Faſt. Campilil. in append. apologet. pro Aloldo eadem dicente dial. VIII.

ut filii uxor Patri fuerit ſubſtituta; quod in Diplomatibus diverſorum annorum difficulter credetur. Mihi quidem *Froilæ* nomen proprium non fuiſſe ſatis eſt veroſimile; videtur enim a *Frowe* ſumptum, quod veteri dialecto *Dominam* indicat, & adhuc dialecto Saxoniæ inferioris *Frowea domicellam* dicunt. Itaque uſu receptum fuerit in Aula Adalberti, ut Conjux *Froila*, vel *Frowila* diceretur, quod deinde etiam velut notius in Diplomata tranſiit. Sic etiam ab uxoribus maritos ſuos Brüderlein appellatos novimus. Unde ergo *Adelaidem* interea appellare libuit. Quod enim Leopoldi Conjux ab iis ſcriptoribus Frowiza dicatur, eodem fonte naſci potuit, & ſatis diſtinguebantur diverſa terminatione *Froila* & *Frowiza*.

YRMELTRUDIS ſive Himeltrudis, ejusque ſoror *Tutta*, ſeu Tuotta, Reginæ Hungariæ, aut filiæ Regum Hungariæ venditantur: illa Fundatrix prima Eccleſiæ Formbacenſis, iſta Monaſterii Subenſis. De Himeltrude habet Compilatio Chronologica rer. Boic. (6) *MCIX. H. A. obiit Ekbertus Comes Moranenſis erector in Varenpach, & ibidem ſepultus; quod primitus fundavit Yrmeltrudis Regina Ungariæ.* Bruſchius quoque in ſupplemento refert, Himeltrudem hanc filiam Regis Hungariæ cœcam interceſſione B. V. ſanatam. Tuttæ monumentum extat in Subenſi Monaſterio, quod Regiam ejus ſtirpem Hungaricam teſtatur; verum hoc ſæculo XVI. non eſt antiquius. Cæterum jam a Bavaris Eruditis demonſtratum eſt, has Henrici Neuburgenſis Comitis fuiſſe filias, Thiemonis I. neptes. (7)

6) T. II. Oeffelii.

7) Conf. Monum. Boica T. IV. p. 11. 98. 100. Aub. Miræi Origines Benedictinæ Cap. LXXIV.

AGMUNDA a recentioribus Conjux Andreæ I. appellatur. Albizius (8) una littera mutata *Egmundam*; alius (fortaſſis typi errore) *Augmundam* dixit. Veteres Hiſtorici nomen ejus tacent. Primus, quem reperi, eſt Ant. Bonfinius, qui Agmundam (9) vocaverit. At comparanti hoc nomen cum Ruthenica proſapia ejus, apparebit vix credibile; Germanicam enim potius originem oſtendit. Talia fere omnia ſunt in *munda* vel *mundus* terminantia vocabula: *Sigismundus*, *Pharamundus*, *Edmundus*, *Traſamundus*, *Roſmunda*; nomina nonniſi in populis Germanicam Originem habentibus occurrentia. Unde vero Bonfinius absque teſte nominationem illam accepit? Aio ego, ex Admontenſi Styriæ cœnobio. Occaſionem præbuere ei duo loca Thuroczii male intellecta: (10) *In clauſtro Agmund Matre, & filio derelictis.* Et iterum: (11) *Uxor autem ejus* (Salomonis) *& Mater in Agmund requieſcunt.* Jam vero plusquam notum eſt, Admontenſe cœnobium ſeculo XIII. & XIV. frequenter *Agmund* fuiſſe dictum. Exemplo ſit Chronicon Mellicenſe, inſcriptio Capitis LII. CLXXXIII. CLXXXIV. CLXXXV. &c. Chronici Horneckiani, Catalogus Abbatum Seittenſtettenſium ſec. XIV. ſcriptus, in quibus frequenter *Agmund* reperitur. Diploma (inter Admontenſia XIX. Tom. II. Diplomatarii Sacri Styriæ Frölichii) clauditur: *Datum Agmundæ XVI. Kal. Jan. Anno Dom. MCCXCIV.* Ferrarius (12) *Egmundenſe Monaſterium* vocat; cui reſpondet nomen ab Albizio mutatum. Itaque Andreæ Conjux inter anonymas adhuc relinquenda eſt, donec forte ex aliquo Diplomate certius quidpiam erui poſſit. Reliquas quoad ipſam fabulas jam ſupra rejeci.

SO-

8) In Chriſtianorum Principum Stemmatibus Tab. XVI.

9) Dec. II. lib. II. p. 155.

10) P. II. Cap. LIV.

11) Cap. LVI.

12) P. II. lib. II. cap. IV. rer. Hung. S. Dominici p. 233.

SOPHIA & SALOMON Conjuges Regii multos torſerunt: illius nomen & viduitas, hujus poſtrema vita, Ego de ſingulis mentem meam exponam.

Sophia apud exteros Juditha dicta reperitur. Hoc ut concilient diverſi diverſas amplexi ſunt ſententias. Fuit qui putarit, Juditham in Hungarico idiomate Sophiam dici; quod refutatione non indiget, & omnes linguæ Hungaricæ periti negabunt. Cuſpinianus (13) primum Juditham Henrici III. Imp. filiam; deinde (14) Sophiam Henrici IV. filiam eidem Salomoni tribuit; quod omnibus antiquis ſcriptoribus eſt contrarium. Alii duas Henrici III. filias Sophiam & Juditham eidem ſucceſſive datas cenſent; quod ut falſum demonſtrem, libet Henrici III. filias enumerare. Prima & unica ex Chunelinde priori Conjuge Henrico nata eſt, de qua Wippo: (15) *Regina Chunelindis Conjux Henrici Regis XV. Calend. Auguſti, quaſi in limine vitæ, ingreſſu mortis occubuit, relinquens tantummodo ſolam filiolam, de Rege, quam poſtea Chriſto deſponſans in Abbatiſſam conſecrari fecit.* Factum id Quedlinburgi, ut conſtat ex Diplomate ejusdem Henrici dato XV. Kal. Maji MXLV. (16) ubi etiam nomen ejus exprimitur: *Tale prædium, quale habere viſi ſumus in locis Sinslebo, & Anegrimeſlibo cauſa dilectiſſimæ filiæ noſtræ Beatricis Eccleſiæ in honore Domini noſtri JESU Chriſti, & Sancti Servatii, atque Sancti Dionyſii conſtructa, cui prædicta filia noſtra divina munificentia, noſtraque benevolentia præeſt, Regali noſtra poteſtate, & au-*

13) Opere de Cæſ. p. CCCCXXXIII. & CCCCXXXVI.

14) P. CCCCXLII.

15) Pag. 449.

16) Apud Kettnerum in Antiquitatibus Quedlinburg. p. 165.

auctoritate ex noſtro Dominio in proprium condonavimus. Quo anno Beatrix obierit, non comperi; videtur tamen ante Patrem obiiſſe. Ex altera Conjuge Agnete, quam poſt quinque fere annorum viduitatem acceperat, natæ ſunt ei tres filiæ conſequenter, quarum nativitatem Hermannus Contractus (17) diligenter adnotavit; prima an. MXLV. *Autumnali tempore . . . Agnes Regina filiam Regi peperit.* Secunda circa Paſcha an. MXLVII. *Imperatrix Agnes, quæ Romæ ab Imperatore digreſſa fuerat, in Ravennati territorio filiam peperit.* Tertia autumnali rurſus tempore an. MXLVIII. *Agnes Imperatrix filiam Imperatori peperit.*

Harum trium filiarum una aut ante Patrem obiit, aut eum paulo poſt ſecuta eſt: certe an. MLIX. duæ tantum ſupererant, de quarum priore Continuator Hermanni Contr. (18) narrat: *Rodolphus Alemannorum Dux Mathildam Henrici Regis ſororem duxit uxorem.* De altera minore natu: *Andreas Pannoniæ Rex etiam ſororem ejus minorem filio ſuo adhuc puero ſponſam obtinuit.* Hanc vero eandem eſſe, quam Pater jam ſpoponderat, patet ex Schaffnaburgenſi. (19) Verum Mathildæ brevis vita fuit; ſiquidem Continuator ad an. MLX. refert: *Mathildas ſoror Regis obiit.* Remanſit ſola Salomonis ſponſa, quam adhuc an. MLXXXVIII. Seyfridus in vita S. Ottonis *unicam ſororem unici fratris* appellat. Ne vero quid diſſimulem, in Chron. Halberſtadienſi (21) memoratur: *Affuit quoque dedicandæ DEI Aulæ* (Eccleſiæ Halberſtadienſi) *Se-*

re-

17) Pag. 286. 288. 290.

18) Pag. 298.

19) Ad an. MLXI.

20) Pag. 125.

reniſſima Domina Bertha Regina, cum præclara matertera ſua Irmengarda Duciſſa, & Sorore Regis Adelaide Quedlinburgenſis Eccleſiæ Abbatiſſa. Attamen hæc potius videtur fuiſſe ſoror Henrici III. & amita Henrici IV. ut colligi poteſt ex Diplomate male ſane exſcripto apud Kettnerum. (21)

Reſtant adhuc duæ ſententiæ, quarum altera eam ſimpliciter binominem fuiſſe aſſerit: quod probandum foret; veteres enim Germani & Polonici ſcriptores unicum Judithæ nomen ſciunt. Aloldi vero de Peklarn teſtimonium me non movet, qui me huic teſti, poſtquam eum oculis ipſe inſpexi, nunquam committerem. Altera eſt, Sophiæ nomen ipſi ab Hungaris fuiſſe datum. Nominis permutatio in fœminis apud Hungaros eſt ſine exemplo; & ipſa Regina, dum Hungariæ præeſſet, non ſe Sophiam, ſed Juditham dixit, quod patet ex litteris Gregorii VII. Judithæ reſponſoriis; talem enim nominavit Pontifex, qualem illa ſe ſubſcripſit. Unde ergo Sophiam Henrici Imp. Sororem hauſit Thurocz? Aut is quem hic ſecutus eſt? Eodem ex loco, in quo viduam vixiſſe & mortuam credidit: ex Admontenſi cœnobio. Cum enim Sophiam Reginam ibidem reperiſſet, hanc eandem eſſe credidit, quamvis ſeculi integri intervallo diſtarent. Ego talem appellavi, qualem ſe ipſam vocavit. Jam de Salomone.

SALOMONEM vanitate rerum mundanarum perſpecta pœnitentem Polæ in Iſtria e vita migraſſe, ibique Sanctum haberi, pervulgata eſt noſtrorum temporum opinio, ipſis Sanctorum faſtis inſerta. Indaganti tamen mihi perquam ſollicite, quouſque hæc traditio aſcendat, antiquior mihi teſtis non occurrit Joanne Keza, quem conſtat ſuum Hungariæ Regum Chronicon Ladislao IV. Regi Cumano plerisque dicto ſub an. MCCLXXX. dedicaſſe. Huic ſuc-

21) Pag. 166.

ceſſerunt atteſtationes diverſorum nec parvi nominis ſcriptorum, qui easdem relationes partim integras, partim ſecundum id, quod propoſito ſcopo ſerviebat, adoptarunt, puta Ebendorfferi de Haſelbach, Ant. Bonfinii, Petri Ranzani, aliorumque, ut recentiores prætermittam, & Joannem Thuroczium ſec. XV. Chronographum quidem ſed Kezæ exſcriptorem. Confirmationem porro addit ſequens inſtrumentum cum corporibus S. Salomonis & aliorum Polæ an. MCDLVII. repertum: *In Chriſti nomine. Amen. Anno ejusdem Nativitatis MCDLXXXVII. Indictione quinta, die XVIII. Menſis Novembris, reverendiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, D. Michael Urſinus DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Polenſis conſecravit hoc altare ad laudem & honorem ſummi & magni DEI ſub vocabulo infraſcriptorum Sanctorum, quorum corpora manibus ſuis propriis in ipſo altari poſuit in capſulis ex cipreſſo ad laudem DEI. Corpus S. Theodori martyris. Corpus S. Georgii martyris. Corpus S. Demetrii martyris. Corpus S. Flori Epiſcopi & Confeſſoris. Corpus S. Baſilii Epiſcopi & Confeſſoris. Corpus S. Salomonis Regis Hungariæ Confeſſoris. Joannes de Tambacis de Pola Notarius ſcripſit.* Eruditiſſimus Joannes Stiltingus hagiographus e verſiculis arcæ inſcriptis demonſtravit, corpora hæc jam an. MCDXVIII. ibidem quieviſſe. Denique Lectiones olim divino officio deſtinatæ compendio recitant ea, quæ apud Bonfinium leguntur.

Verumtamen omnia hæc, licet antiqua ſatis, tam ſolida mihi nunquam viſa ſunt, ut iis aſſenſum præſtare poſſem. Salomonem apud Iſtrios coli haud abnuo: eundem, cujus caput aliasque corporis reliquias Theſaurus Eccleſiæ Polenſis adſervat, Divorum honore digniſſimum non refragor. Id modo oſtendi vellem, Salomonem hunc Regem & quidem Hungariæ fuiſſe. Quis enim de ejus in eremo vita perſuadeatur, ſi ſuppares teſtes eum mortuum teſtentur? Si Conjux occurrat vidua? Si eadem ad nuptias ſecundas

&

& quidem anno mox ſequenti tranſeat? Quis credat, ſi ſolum deperditus haberetur, eam non ſaltem longiori tempore fuiſſe expectaturam? Quis ſecundum leges actum dubitet, ſi Ottonem Sanctorum faſtis adſcriptum paranymphum, ſi Divum Ladislaum, quod nonnulli volunt, alterarum nuptiarum ſuaſorem repererit? Non eadem eſt Regum Imperatorumve, quæ inferiorum, conditio, ut viis veritati indagandæ deſtituantur. Potuit quidem vulgus de morte ejus dubitare, Principibus tamen eam ignotam fuiſſe non probabitur. Quid, quod nemo unquam has ſecundas Judithæ nuptias damnaverit?

At vero Salomon iterum Colomano regnante in Hungaria viſus eſt, eodem Keza referente. Equidem haud ivero inficias, aliquem ei ſimilem fuiſſe conſpectum, quem nonnulli e plebe pro Salomone Rege habuerint: quis enim neſcit talia omnibus fere ſæculis contigiſſe? Sic Nero, Fridericus II. Imp., Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, Demetrius Moſcoviæ, aliique complures longo poſt mortem tempore vivi habebantur, populo adeo veſano, ut in nonnullis tertium, immo & quintum vellet decipi. Denique qualis teſtis Keza, qui Sophiam alteram pro Salomonis Conjuge conſtituit? Nunquid non etiam Salomonem pro Salomone accipere potuit? Argumenta, quibus ſæpius concluſum fuiſſe ex Actis SS. conſtabit.

Neque plus roboris habet Polenſium traditio, quo enim uſque aſcendit? Sane qui officiis divinis præſunt, bene ſapienterque ordinarunt, ut Salomon ille quidem Sanctus cenſeatur, colaturque, nulla tamen ſive excelſæ originis, ſive relictæ Regiæ dignitatis, aut actæ ſuper prioris vitæ delictis pœnitentiæ mentio haberetur, potiusque confiterentur ignota ſibi eſſe Salomonis ſui acta, quam rem nullo demonſtrandam argumento aſſererent. Aliis, qui eundem Salomonem ſibi vendicant, nequidem reſpondere opus eſt; ſe ipſos enim conficiunt HE-

dictis ſui. (22)

22) Cum in Directorio Officii anni MDCCLXI. nihil de Salomone occurriſſet,

HELENA Belæ Cœci Conjux certa eſt : annus conjugii initi incertus. Plerique Thuroczio duce ſub annum MCXXVII. ſtatuunt, quod tamen longe antea mihi factum videtur. Cum enim Belæ hujus nepos Stephanus ſub an. MCLXIII. Stephano Belæ filio habitu corporis fuerit ſimillimus, ita ut Cinnamus (23) Manuelem Stephano locutum referat: *Eſt tibi ex fratre nepos Stephanus adeo vultu & lineamentis tibi ſimilis, ut niſi attente admodum vos intuentibus haud facile ſit alterum ab altero diſcernere.* Unde etiam accidiſſe narrat, ut cum pro Stephano eodem copias duceret, a ſuis ipſis Hungaris, quos duxerat, pro Stephano illo habitus, & Stephano III. fuerit traditus; ſequitur Parentem hujus Stephani nepotis multo majorem ætate ſeu naſcendi ordine Stephano Belida fuiſſe. At quod huic Stephani Patri nomen? Idem Cinnamus appellat hunc Στέφανον τοῦ ἰαπζᾶ παῖδα. Igitur hic Stephanus nepos fuit Geyſæ filius, utique non Geyſæ illius, qui Belæ ſucceſſit; is enim duos Stephanos filios non habuiſſe credi poteſt, unum cum quo Stephanus patruus contendebat, alterum qui apud Græcos contra fratrem militaret. Accedit, quod ſi Stephanus fuiſſet Geyſæ hujus filius, nonniſi ad ſummum quindecim fuiſſet annorum, adeoque Stephano Belidæ ſimilis corpore eſſe non potuiſſet. Ergo dicendum erit, Belam habuiſſe duos Geyſas filios; primum ex quo Stephanus hic natus fuerit, longe ante alios nobis cognitos filios Belæ natum; ſed non magnæ ætatis, quique paucis annis pubertatis ſupergreſſis mortuus fuerit relicto filio Stephano. Alterum jam in throno natum, quem in defuncti filii locum Geyſam appellarit; un-

---

prope erat, ut de cultu Polenſium dubitarem; at aliud alterius anni poſtea nactus ſic ad 29. Sept. Officium ordinatum reperi: *In Urbe C. A. Salomonis Conf. cuius corp. in Cathed. requies. dup. in 1. Noc. de ſer. ex heri. rel. de communi 2. loco. In Miſſa* Juſtus ut palma. *in Cathed. tantum Credo.*

23) Lib. V. n. XII. p. 130.

unde fieri potuit, ut hi duo Stephani Geyſarum filii ejusdem fuerint ætatis & corporis habitus. Hujus Geyſæ Senioris filium, & Stephani nepotis fratrem exiſtimo etiam fuiſſe Geyſam Ducem, cujus apud Kercſelichium (24) ex Farlato diploma an. MCLVIII. datum incipit: *Ego Geyza DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæque Dux.* Quibus poſitis recte inferam, aut Helenæ conjugium pluribus annis eſſe anticipandum, aut Belæ aliam fuiſſe antea Conjugem, quæ tamen ignoratur. Neque inde ſequetur, Helenam edito primo partu fuiſſe poſtea longo tempore ſterilem, ſed potius reliquas proles fuiſſe immature mortuas. Quod autem apud Thuroczium Helena inducitur quatuor tantum filios nominare, ea potius hiſtorici Oratoris videtur eſſe obſervatio. Quin & illud fidem meam ſuperat, Stephanum II. non antea ſaltem ſuperſtitis Belæ notitiam habuiſſe, qui Almum vivere ſciret & Adelaidem Belæ ſororem an. MCXXIV. e Bohemia profugam recepiſſet, ut habet Annaliſta Saxo ad an. MCXXIII. *Sobezlau . . . fugiens adiit Imperatorem in urbe Mogontia, ſed infecta cauſa tendit ad Wicbertum Comitem & apud eum manſit per VII. menſes, & poſt hæc pertrahſiit in Poloniam ad Ducem Bolezlaum; Conjugem autem ejus Almi Ducis natam Stephanus Rex Pannonicus gratanter recepit cognoſcens cognatam ſuam.*

ANNA ſeu Agnes Conjux Belæ III, & ALISIA ſponſa Emerici Regum ortæ dicuntur ex Conſtantia, & Raynaldo Antiochenis Principibus. Hæc quantum veritate nitantur, diſquirenda ſunt. Video enim Clariſſimos viros hucuſque Duce Albericio Monacho aberraſſe. Is in ſuo Chronico (25) refert: *In his quoque diebus quidam nobilis de Francia Rainaldus de Caſtellione ſuper Wainum fluviolum ortus multis probitatibus famoſus, cum veniſſet Antiochiam, & in bellis clarus exiſteret, duxit in uxorem Dominam Civitatis reliſtam Principis Raimundi, & factus eſt Princeps Antiochiæ; de qua Domina tres genuit fi-*

24) In notitia præliminari p. 158.
25) Ad an. MCLXVII. p. 347.

filias, quarum primam habuit Conſtantinopolitanus Manuel, & ex ea genuit Alexium, de quo præmiſimus; ſecundam Agnetem nomine, quam duxit Bela prædictus Rex Hungariæ, & genuit Hemericum & Andream fratres & Reges, & duas Reginas Conſtantiam de Bohemia, & Margaretam de Græcia, tertiam Principis Rainaldi filiam duxit Marchiſius Eiſtenſis in Italia.

Iſta ut explicem, prius Conſtantiæ & Raynaldi annos figam. Conſtantia unica filia Boamundi junioris Principis Antiocheni nupta fuit Raymundo Pictavienſi Comiti ſub an. MCXXXVI. eique Principatum attulit. Conſtat hoc ex diplomate XXV. (26) quod ſic claudit: *Anno ab Incarnatione Domini M°. C°. XL°. VIIII. Principatus mei XIII. Indictione XII. prima die Februarii.* Annus hic dati diplomatis etiam fuit ultimus Raymundi, fuit enim in pugna occiſus teſte Tyrio. (27) Vidua perſtitit Conſtantia uſque ad an. MCLII, quo Raynaldo de Caſtellione nupſit. Hic inde annos regiminis computat, ut patet ex diplomatis XXXI. (28) clauſula: *Actum hoc eſt anno Incarnationis Dominice M°. C°. L°. V°. tertio Principatus mei anno.* Captus fuit ab hoſtibus Raynaldus anno MCLX. Reſtitutus iterum, ſed ſub annum MCLXII. mortua Conjuge Principatum amiſit. Teſtatur Bernardus Theſaurarius: (29) *Eodem quoque tempore* (Damiatæ perditæ) *Principiſſa Antiochiæ, quam Amalricus Rex Raynaldo Principi in uxorem dederat, defuncta eſt . . . . Filius autem Principiſſæ defunctæ . . . Boamundus nomine poſt mortem matris Principatum, qui ſibi ſuccedebat jure naturæ, accepit. Raynaldus vero Hieruſalem perrexit, cui Rex relictam Domini Krach & Montis Regalis copulavit, de qua nullos liberos genuit.* Extat enim diploma Boamundi

III.

---

26) In Col. Diplom. Paoli Ord. Melit. p. 27.

27) Lib XVII. c. 9 p. 915.

28) Op cit p. 34.

29) Cap. CXXXIII.

III. jam imperantis de anno M°. C°. L°. XIII° (30) Tandem Raynaldus an. MCLXXXVII. iterum in pugna captus, & cum fidei Christianæ renuntiare nollet, propria Saladini manu occisus est (31) Jam cujus hæ proles fuerint examinemus.

Maria expressis terminis a Tyrio Boamundi & Constantiæ filia appellatur. Nicetas quoque Principis Patareni filiam iterato dicit; qui cum ætatis illius fuerit, Principemque suum noverit, fidem omnino meretur. Neque *Anna* seu *Agnes* alios parentes habuit; cum enim Tyrio teste *Maria* horum fuerit natu minima, alias vero sorores ejus nesciamus præter *Philippam* & *Annam*, has quoque iisdem parentibus tribuamus est necesse: quod si enim Philippa sola fuisset, Maria natu minor, sed non minima dici debuisset. Tandem Alisiam quidem certum est Raynaldi fuisse filiam, id quod diplomata testantur, an vero ex Constantia, merito dubites; jam enim XLII. annorum minimum fuisset, cum Azoni an. MCCIV. nupsit: quod ut fieri potuit, sic difficile est creditu. Equidem neque Stephaniæ secundæ Conjugis fuit filia, de qua nulli liberi Raynaldo obvenerunt. Quid tamen vetat, ut is a morte hujus tertiam acceperit Conjugem, ex qua Alisia nata fuerit? Nemo id quidem memorat, sed etiam nemo negat. (32) De morte Stephaniæ nihil scimus.

FENNENA Andreæ III. prima Conjux ex diplomatibus, & aliunde certa est. De ejus parentibus & patria disceptatur. Cl. Georg.

---

30) Op. cit. p. 38.

31) Vid. Bern. Thesaur. cap. CLV. Marinus Sanutus Lib. III. cap. IV. p. 191.

32) Felix Faber de Comitissa ultima de Helffenstein in Historia Suevorum lib. II. c. IV. p. 90. *Post emptionem Helffastain Domina Comitissa de Helffastain, quæ erat Regina Hungariæ, in omni locutione, quando faciebat mentionem de Ulmensibus, appellabat Ulmenses filios suos, dicens: Filii mei Ulmenses dicunt vel faciunt illud. Et dum interrogaretur, quare Ulmenses nuncuparet filios, dicebat, quia ipsi Virum meum & me hæreditabunt; & ita factum fuit.*

Georg. Prayus (33) eam cum Euphemia e Goritienſibus Comitibus orta confundit. Sponſam eam Andreæ, non Conjugem fuiſſe oſtendi. Receptior eſt (34) eorum aſſertio, qui Fennenam e Glogovienſibus Sleſiæ Ducibus petendam cenſuerunt; quare Conradi ſecundi Ducis, qui ad an. MCCXC. Ducatum (35) tenuit, filia dicenda foret. Nituntur hi teſtimonio Ottocari Horneckii, (36) & qui hunc ſecuti ſunt, Hageni, ac Haſelbachii. (37) Attamen cum Horneckium, coævum licet, in nominibus nonnunquam labi ſciam, tanti mihi fides ejus non eſt, ut neceſſario ſequendum cenſeam, illiusque gratia difficultates hic occurrentes diſſimulem, aut conjecturis aliquibus ſolvere contendam. Unde enim eſt, ut Poloniæ & Sileſiæ ſcriptores nullam ejus mentionem fecerint? Nuptias adeo nobiles in faſtos non retulerint? Qui potuit intra paucorum dierum ſpatium Andreas ex Auſtria evocari, idemque electus ſponſam e Sileſia accerſere? Deinde Euphemia (quod ab aliis Offena exprimitur, adeoque affinitatem nominis cum Fennena & Fenna habet) Conradi ejusdem Ducis filia jam an MCCLXVI. nupta fuit Alberto Goritiæ Comiti. (38) Henricus Mu[illegible]erus (39) ei aſſignat Patrem Siciliæ Regem, quem Dan. Papebrochius (40) conjicit fuiſſe Manfredum. Hæc opinio ex ſimilitudine nominis Sileſiæ & Siciliæ orta eſt; hiſtoriæ vero illorum temporum repugnat. Ego illam ex Ducibus Cuyaviæ deduxi.

33) T. I. p. 355. ad an. MCCLXXXVI.
34) Schmitth. in Epp. Agrienſ. T. I. p. 219. Lad. Thuroczius in Ungaria cum ſuis Regibus p. 268. n. XXIII.
35) Dlugoſſus lib. VIII. ad h. a. Cromerus lib. XI. p. 577. Mathias de Michovia lib. IV cap. IV.
36) P. I. cap. CCCLXXXVI. p. 360.
37) In chron. col. [illegible].
38) Cromini Tentamen Genealog. de Comitibus Goritiæ p. 157. Pohlius in Annal. Vratislav. MSS.
39) In vita B. Eliſabethæ Ord. S. Dom. c. 1. n. 2.
40) In notis ad idem cap. I. in actis SS. T. II. Maii p. 125.